


DE

SCHOLIIS RHETORICES AD HERENNIUM
CODICE HOLMIENSI TRADITIS.

ACCEDUNT

ANNOTATIONES IN

CICERONIS DE INVENTIONE LIBROS

CRITICÆ

CODICIS CORBEIENSIS NITENTES
COLLATIONE

QUÆ ADIECTA EST.

COMMENTATIO ACADEMICA

QUAM SCRIPSIT ET

PERMISSU AMPLISSIMI ORDINIS PHILOSOPHORUM UPSALIENSIUM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

IN PUBLICO DEFENDET

MAGNE WISÉN

LIC. PHIL., AMANUENS. EXTRAORD. BIBLIOTHECÆ REGIÆ HOLMIENSIS.

IN AUDITORIO VIII A. D. VI ID. MAIAS MDCCCCV.
H. X A. M.

HOLMIÆ MDCCCCV.

EX TYPOGRAPHIA IDUNS TRYCKERI A.-B.

Illud sæpius mirati sunt viri docti, rhetorices ad Herennium, quæ vocatur, quamvis innumerabilibus codicibus traditæ, nullum rhetoris commentarium ad nos pervenisse[1]. Quare insperato gaudio sum affectus, cum inter libros manu scriptos, qui in bibliotheca regia Holmiensi servantur, codicem inveni, qui cum textum illum, tum commentarium copiosum continebat. Neque minorem admirationem rubrica commentarii movit, cuius verba hæc sunt: 'Incipit apparatus Grillii et aliorum expositorum supra secundam

---

[1] *Pauly-Wissowa*, Real-Encycl. IV, p. 1618 (s. v. Cornificius): 'Auffallend ist das Schweigen der Commentatoren von Cic. de inv. Marius Victorinus (Mitte des 4. Jhdts.) und Grillius (4.—5. Jhdt.). — *Marx* in editione Rhet. ad. Her. Prol. p. 1: Quem librum (= rhet. ad. Her.) Romæ inde a Sullæ tempore usque ad Theodorici regis tempora, immo per omne illud ævum quo lingua latina locuti sunt Romani non innotuisse doctoribus et scriptoribus urbis inde manifestum est, quod nemo rhetorum et grammaticorum qui eadem tractarunt quæ libri auctor satis commode exposuit eo usus est, ne illis quidem temporibus quibus M. Tullii auctus nomine incluto liber inclaruit. Cf. pp. 6—7: Tamen hoc summopere mirandum esse quilibet concedet Marium Victorinum — — — — — in commentariis librorum de inv. nusquam memorare rhetoricam quasi gemellam ad Her. — — — — Nam Victorinus si perfectam et absolutam rhetoricam ad Her. non ignorasset, non solum singulis ad comparandum locis usus esset sed omnino opus plenum et perfectum commentario ornare maluisset quam fragmentum: quæ eadem omnia cadunt in Grillium commentatorem, qui insequente sæculo libros de inv. explanavit.

rhetoricam Tullii' codicemque examinare diligentius instituì.

Codex, qui membranaceus est, CCXL fere folia (long. 25,5 cm., lat. 17,5 cm.) continet.[1] Quaterniones numero sunt XXVII et plerumque octona folia continent; unus tamen duodecim, tres dena, tres — agglutinatis vel recisis schedulis — undena, quattuor novena folia habent. Accedunt in fine tres schedæ, itemque in principio ante textum præfixa est pagina, quæ quid codex contineat, docet. Ceterum ita institutus est liber, ut commentarii verba in marginibus satis largis (binis quasi ordinibus collocata) textum, quem declarant, omnibus partibus concludant. Involucrum codex habet ligneum, corio inductum. Pittacium tergo agglutinatum numerum I habet.

Præter rhetoricam ad Her. liber etiam Ciceronis de inventione continet, ubi Victorini commentarius adiungitur[2], et Boethii de differentiis topicorum, librum quartum, qui codicem concludit. Atque quo ordine aliis in codicibus Cic. de inv. et rhet. ad Her. invenire

---

[1] Numero signata est prior uniuscuiusque folii pars. Neque tamen per totum librum una series continuatur; medio enim libro alteram altera series excipit. — In commentario laudando ad hos numeros ita refero, ut ex. gr. 12 A (B) = folii 12 prioris paginæ pars sinistra (dextra) sit; 12 a (b) = folii 12 alterius paginæ pars sinistra (dextra).

[2] Nonnullis locis additamenta quædam commentario inserta esse videntur. Quod iam ex iis apparet, quæ sub primi libri fine annotata sunt: 'Excerpta aliquorum auctorum una cum commento Victorini supra librum primum rhetoricæ primæ Tullii per me Iohannem Poulain expliciunt'. Aliis locis Grillii nomen invenitur, velut 46 B: 'Et hæc sunt extracta a Grillio, grammatico rhetorico'; 49 A: 'Hæc Grillius. Sequitur Victorinus'. Et paulo infra: 'Additio Grillii'; 93 B: 'Hæc Grillius. Sequitur expositio finaliter Victorini'; *94 B: 'Grillius dicit'.* Et paulo infra: 'Hæc Grillius'.

solemus, eodem etiam hic collocata sunt, ut priorem locum de inv., alterum rhet. ad Her. teneat. Satis mirum videri potest codicem Voss. 1 (Marx, l. c. Prol. p. 37) eadem ipsa quæ nostrum continere; præcedit tamen ibi Boethii de diff. top. rhetoricam ad Her.

Neque quo tempore neque ubi codex sit scriptus, dubitandum est, cum librarii subscriptiones pluribus locis inveniantur. Quarum, quibus optime docemur, afferre volo. In fine Cic. de inv., commentarii, hæc leguntur: Finit de undecim attributis. Marci Tullii Ciceronis rhetoricorum liber secundus explicit et per me Iohannem Poulain scriptus apud Laudunum in Viromandia anno M°CCCC°LXV^{to} die quinta Septembris. — Et in fine rhet. ad Her. hæc sunt: Explicit liber rhetoricorum a Marco Tullio compositus ac per me Iohannem Poulain Turonensis dioecesis canonicum ac regnarium[1] Laudunensis ecclesiæ in Viromendia scriptus, eotunc sede vacante episcopatus per obitum Domini Iohannis Degaucourt[2] quondam episcopi Laudunensis, cuius dum viveret eiusdem officialatus exercui officium quinque annis et destitutus eiusdem decessu. Anno Domini M°CCCC^{mo} sexage^{mo} octavo die sexta Iunii. Orate pro defunctorum animabus. — Itemque in fine commentarii rhet. ad Her., post Finit rubricam: Explicit compendium expositionum novæ rhetoricæ Marci Tullii Ciceronis ad Heren-

---

[1] Vide *du Cange*, Glossarium (1886): Regnarius, vulgo Renaire, Officium ecclesiasticum in ecclesia Laudunensi, cuius est sceptri genus seu virgam coram eo, qui thura facit, deferre; unde vocis origo.

[2] Indicem episcoporum Laudunensium si inspicimus (vide ex. gr. La grande encyclopédie, s. v. Laon), videmus Jean de Gaucourt MCCCCLX—MCCCCLXVIII episcopum fuisse.

nium finitum ac per me Iohannem Poulain manu propria scriptum. Anno ab incarnatione Domini MCCCCLXXXV die quinta mensis Februarii Parisius apud collegium Sancti Martini Duplexis. — Lauduni igitur (hodie: Laon, dép. Aisne) codicem scribere coepit Poulain, Parisiis autem finivit. — Qua via in Sueciam codex venerit, indagari posse non videtur. Sed Holmiam Upsalia allatum esse, eo fit verisimile, quod index quidam librorum[1], qui anno MDCXLVIII ex bibliotheca universitatis Upsaliensis ad bibliothecam regiam Holmiensem missi sunt, inter alia Ciceronis opera etiam »Rhetorica» continet.[2]

Eadem manu totum codicem scriptum esse, docere potest cum litterarum æquabilitas, tum librarii crebræ subscriptiones[3], ubi nomen suum sæpe addit. Neque sine elegantia exaratæ sunt litteræ; hoc tamen in textu apertius elucet quam in commentario, hic enim perparvis litteris, ille satis magnis scriptus est. Quod ad rem palæographicam attinet, nihil codicem ab aliis eiusdem ætatis differre credo. Neque de orthographia quod dicam habeo nisi res leves et quasi communes (velut diphthongos abesse, y pro i, ch pro h, tt pro ct interdum poni, etc.) Rubricæ litteræque rubricatæ non raræ inveniuntur. Interpungendi signis • et (rarius) ʾ

---

[1] Vide *C. Annerstedt*, Upsala Universitetsbiblioteks historia intill år 1702 (= K. Vitterh., Hist. o. Ant. Akad:s Handl., N. F. 12: 2), p. 80—81.

[2] In indice etiam 'Cic. Rhetoricorum aliud exemplar' commemoratur. Potest hic esse alius codex, qui in bibliotheca regia servatur, [Cic.] rhet. ad Her. tantum continens. Paulo vetustior quam alter esse videtur, sæculo MCCCC vel etiam prius scriptus. Lectiones easdem fere præbet quas alii classis *E* (Marxii signo utor) libri.

[3] *Nam præter* eas, quas supra exscripsi quæque de *tempore et loco* nos docent, aliæ multæ inveniuntur.

librarius utitur. Græca verba aut omittuntur — spatio sæpe relicto — aut litteris latinis, græcis rarius, (vitiose sæpissime, interdum adeo ut verbum non agnoscatur) scribuntur.

In codice legendo iam aliquamdiu versanti forte accidit, ut codicis verba agnoscere mihi viderer in specimine, quod Marxius (l. c. Prol. p. 60), de palæotypo quodam rhetoricæ commentario instructo agens, attulit. Neque res me fefellit, nam quam maximam similitudinem esse diligentius exquirendo inveni. Editio illa Veneta est anni MCCCCLXXXI 'per Baptistam de Tortis'. Cuius exemplar ex bibliotheca universitatis Gottingensis benignissime allatum mihi præsto fuit. Neque tamen omnibus rebus codex et palæotypus inter se conveniunt (quos breviter h et V significabo). Ita paginæ nonnullæ, quæ h incipiunt, in V absunt. Contra h non habet hæc verba, a quibus V incipit: 'Solebant maiores in exponendis libris multa inquirere, quæ nunc omittuntur'. Ceterum, quod ad primi libri commentarium attinet, omnia fere in h et V congruunt; exeunte tamen libro in V nonnulla omissa sunt. Ceteris in libris V tantum omittit, ut ne $^1/_6$ quidem eorum, quæ in h leguntur, in V exstet. Sed ea, quæ V habet, cum h quoque semper fere habeat, non dubium videtur, quin V et h communis sit origo. Quare quod Marxius credit hunc editionis V commentarium (quem copiosum et acutum appellat) docti cuiusdam esse illius temporis (= anni 1481), verisimile esse non potest.[1]

---

[1] Præterea editionis V infra nulla ratio habebitur, cum melior sit h codicis auctoritas et mendis typographicis V scateat. Nisi necessitate cogente, si pars, quæ in V quoque exstat, in h corrupta videbitur, ad V non erit confugiendum.

Quo tempore scripta sint scholia, quominus eruamus, multa obsistunt. Nam quæ in h hodie habemus, ex multis libris sine dubio multisque temporibus collecta sunt. In scholis autem, ubi rhetoricam ad Her. antiquitus adhibitam esse constat, plurima nata esse conicere licet.[1] Ita legimus 11 A: 'Præceptor noster'; 25 b: 'Præceptor meus ait se audivisse' etc.; 102 b: 'Magister Theodorus dicit — — Magister Petr. hel. — — dicit'; 105 b: 'in lectionibus magistrorum'. Neque minus exempla, quibus præcepta artis rhetoricæ interdum illustrantur,[2] scholam redolent. Quæ cum ita sint, non est, cur miremur, quod sine ullo iudicio quævis in commentario collecta esse videntur. Sub simili vel eodem lemmate idem textus locus iterum (ac sæpius interdum) explicatur, sive res eadem aliis tantum verbis repetitur, sive — quod etiam accidit — explicationes sibi prorsus contrariæ proferuntur. Nisi raro alteram explicationem non præcedunt verba: 'Melior est hæc littera' (103 b et alias) vel alia similia. 'In hoc est diversa sententia' (124 a).

Cum commentarius, ut iam supra dictum, ex pluribus, ut ita dicam, tabulatis iisque diverso tempore ortis constet, certum quoddam tempus statui non posse in aperto est. Nam si quo loco nobis tamquam ansæ ad tempus definiendum datæ sunt, nihil fere profici-

---

[1] Similiter ergo, si hoc verum, scholia exstiterunt atque rhetorica ad Her. ipsa, quæ quin ad dictata magistri scripta sit (Marx, l. c. Prol. p. 80—82), non debet dubitari. Qui autem hoc concesserit, desistat necesse erit contendere hunc vel illum auctorem fuisse. Neque, si sibi constare volet, pro certo negabit commentarium illum scholasticum non minus Ciceronis quam alius cuiuslibet esse potuisse.

[2] Quædam eius generis infra (p. 33 sqq.) afferentur.

mus, cum non possimus hoc loco nixi de ceteris quidquam concludere. Velut cum 31 B Theodosius imperator commemoratur, nihil aliud efficimus, quam ut istius loci terminum post quem habeamus.[1] Quod idem in 34 b cadit, ubi Gregorii mentio fit.[2] Uno loco multo posterioris ætatis indicium vidi: 105 A Laur. Valla commemoratur. Sed huic rei non nimium tribuendum videtur; nimirum ut quaque ætate additamenta huic commentario inserta esse videntur, ita illius temporis quædam esse possunt.

Iam si, cuius generis scholia illa sint, quærimus, maximam partem contextum rhetoricæ ad Her. satis arte sequentes explicationes sunt. Accedit quod verba ex scriptis auctorum latinorum copiose afferuntur, ut Vergilii[3] sæpissime, Horatii, Terentii, Lucani. Alii multi (Ciceronem ut omittam) commemorantur, velut Quintilianus, Suetonius, Ulpianus, Priscianus, Isidorus, Martianus Capella.[4] Horum Quintilianus longe sæpissime laudatur atque ab eo fere solo quasi descripta nonnulla esse in scholiis demonstrare possumus. Quod quo magis appa-

---

[1] Codicis Theodosiani auctorem hoc loco dici, ex contextu verisimile fit: 'Et sciendum, quod antiquitus apud Romanos in maximo fuerunt honore interpretes legum, quia non recipiebantur ab eis nisi viri perfectissimi in omnibus artibus et in omnibus scientiis. Theodosius imperator fuit interpres legum et alii multi'.

[2] 'Sicut Sanctus Gregorius dedit decretum Anglicis, quod in quarta generatione ducerent uxores, quod modo non tenet ecclesia'. — Alia quoque christiani temporis vestigia non rara sunt.

[3] Admirationem nobis non debet movere, quod præ ceteris Vergilius ad artem rhetoricam illustrandam adhibitus est, cum constet Vergilii verba in scholis omnibus modis (artis vel grammaticæ vel metricæ vel rhetoricæ habita ratione) explicari solita esse.

[4] 130 A Asconius Pedianus commemoratur.

reat, locos quosdam scholiorum affero et quæ apud Quintilianum similia videntur, appono.[1]

I, 1 § 1 *copia dicendi* Quod est proprium oratoris. Interrogatus enim Zeno, princeps Stoicorum, quid interesset inter rhetoricam et dialecticam, quæ sunt partes philosophiæ, respondit: tantum, quantum pugnus clausus a manu extensa.

Quint. inst. or. II, 20, 7: cum duo sint genera orationis, altera perpetua, quæ rhetorice dicitur, altera concisa, quæ dialectice, quas quidem Zeno adeo coniunxit, ut hanc compressæ in pugnum manus, illam explicatæ diceret similem.

Cf. etiam Cic. Orat. 32 § 113.

I, 2 § 3 *diligenti ratione* Ac si diceret, usque ad minima vocabula debemus imitari; unde in imitatione tria sunt consideranda, quomodo, quid et quantum imitemur. Quos: ut idoneos viros, non illos vetustissimos, ut fuit Cato Censorius, quia adhuc non venerat in illum sucum eloquentiæ lacteum; neque modernos. Præterea si volumus exerceri in prosa, non sequamur comicos neque poetas, sed Ciceronem illum, qui et idoneus est et præ ceteris or-

Quint. II, 5 § 20: Cicero, ut mihi quidem videtur, et iucundus incipientibus quoque et apertus est satis, nec prodesse tantum, sed etiam amari potest: tum, quemadmodum Livius præcipit, ut quisque erit Ciceroni simillimus.

---

[1] Sub lemmate suo quodque scholion affertur; numeris textus rhet. ad Her. locum, quem scholion explicat, significo. Quæ delenda videntur, uncis [ ], quæ supplenda, uncis ⟨ ⟩ significantur. — In Quintiliano laudando editione *Halmiana* (Lips. 1868) utor.

natissimus. Unde ait Quintilianus: Cicero, ut mihi quidem videtur, et iucundus incipientibus quoque et apertus satis est, qui non tantum prodesse, sed amari potest. Tum, ut quisque simillimus Ciceronis, erit Romani maximus auctor eloquii.

I, 3 § 4, *Inventio consumitur* Ac si dicat, ita dividitur, ut plus non restat. Multi tamen addunt egressionem, sed ea est pars confirmationis. Nam semper posita est ad confirmandum, ut Ilioneus. Est locus Hesperia.[1] Unde Quintilianus sic definivit: Egressio est dispositio rei extra rem, ad rem tamen pertinens.

Quint. IV, 3 § 12: Hanc partem *παρέκβασιν* vocant Græci, Latini egressum vel egressionem. — — § 14 *Παρέκβασις* est, ut mea quidem fert opinio, alicuius rei, sed ad utilitatem causæ pertinentis, extra ordinem excurrens tractatio.

I, 3 § 4 *dissolutio* — — Multi tamen volunt confutationem sub confirmatione contineri et ita connexam, ut separari non possit. Et volunt esse tantum quinque partes orationis. Sed eos vehementer errare Quintilianus ostendit propter varios earum effectus. Nam aliud est sua confirmare et aliud adversarios confutare.

Quint. III, 9 § 5 Tamen nec iis adsentior, qui detrahunt refutationem, tamquam probationi subiectam, ut Aristoteles: hæc enim est, quæ constituat, illa, quæ destruat.

---

[1] Cf. Vg. Aen. I, 521; 530.

I, 4 § 6 *principium* Hoc appellant exordium apertum, quod Græci prooemium dicunt melius quam Latini, ut ait Quintilianus in principio exordiorum. Nam principium magis generale est, ad omnia pertinens, dictum a præ et capio; quasi prima captio. Prooemium a pro et *οἶμος, οἴμου*[1], qui significat viam, eo quod sit præambulum quoddam ad ceteras orationis partes exponendas, vel a pro et *οἴμη, οἴμης*[2], quod latine significat præludium, hoc est quædam ficta citharizatio et tractatio cordarum ante veram et seriam melodiam cantilenæ, ex qua intelligit⟨ur⟩, qualis cantilena sit futura.

Quint. IV, 1 § 1—3: Quod principium latine vel exordium dicitur, maiore quadam ratione Græci videntur *προοίμιον* nominasse, quia a nostris initium modo significatur, illi satis clare partem hanc esse ante ingressum rei, de qua dicendum sit, ostendunt. Nam sive propterea, quod *οἴμη* cantus est et citharoedi pauca illa, quæ antequam legitimum certamen inchoent emerendi favoris gratia canunt, prooemium nominaverunt, oratores quoque ea, quæ priusquam causam exordiantur ad conciliandos sibi iudicum animos præloquuntur, eadem appellatione signarunt, sive quod *οἶμον* idem Græci viam appellant, id, quod ante ingressum rei ponitur, sic vocare est institutum: certe procœmium est, quod apud iudicem dici priusquam causam cognoverit prosit, vitioseque in scholis facimus, quod exordio semper sic utimur quasi causam iudex iam noverit.

---

[1] hympnos, hymni h. [2] hymis, himi h.

I, 7 § 11 *ex contrario* leviter commutatis. Illud præcedens vitiosum est, quia adversarius eodem penitus potest uti. Hoc autem potest uti, sed eo solo commutato, in quo causa videtur differre. Quod ideo Quintilianus vocat • exordium commutabile.

Quint. IV, 1 § 71: Alia exordiorum vitia verius tradiderunt. — — — quod adversarius in suam utilitatem deflectere potest commutabile (sc. appellatur).

II, 2 § 2 *epicheremata* Quod in latino sonat argumentum. Quintilianus enim in V distinguit syllogismum ab epicherematibus hoc modo, quod syllogismus est argumentum, ubi traditur res vera et pertinet ad dialecticum, qui cogit etiam nolentem per vim argumentorum consentire. Epicheremata sunt, quæ habent[1] vel vera aut verisimilia et pertinent ad oratores — —

Quint. V, 14 § 14: Epicherema autem nullo differt a syllogismis, nisi quod illi et plures habent species et vera colligunt veris, epicherematis frequentior circa credibilia est usus.

II, 26 § 42 *dissentire* Nam sic dixit Quintilianus: oportet memorem esse mendacem.

Quint. IV, 2 § 91: verumque est illud, quod vulgo dicitur, mendacem memorem esse oportere.

Interdum tamen parum conveniunt inter se, quæ Quintiliano in scholiis attribuuntur et ea, quæ in institutione oratoria apud eum leguntur. Quin, etiam pror-

---

[1] habent V; apparent h.

sus contraria hæc et illa esse possunt. Exempla quædam, ut res appareat, afferre volo.

I, 3 § 4 *præparatur*[1] Sed multi quærunt non esse necessarium exordium, hac ratione, quia cum prædicator vel alius multitudini congregatæ aliquid declaraturus sit, iam omnes parati et constituti sunt ad audiendum. Respondent his duabus rationibus, secundum Quintilianum: primo, si præparati sunt ad audiendum, hoc per naturam faciunt, quia in omni re natura dat principium, sed per exordium fiunt attentiores. Præterea, licet per naturam sint præparati, tamen ignorant, de qua re sit dicturus, quod per exordium declarari solet; unde dictum est exordium, quasi de materia ortum.

Quint. IV, 1 § 72: Hæc de prooemio, quotiens erit eius usus, non semper autem est: nam et supervacuum aliquando est, si sit præparatus satis etiam sine hoc iudex aut si res præparatione non egeat. Aristoteles quidem in totum id necessarium apud bonos iudices negat. Aliquando tamen uti nec si velimus eo licet, cum iudex occupatus, cum angusta sunt tempora, cum maior potestas ab ipsa re cogit incipere.

I, 3 § 5 *genus causæ* — — — Quidam tamen addunt obscurum, sed inconsultissime[2] quidem. Nam ut ait Quintilianus, obscurum sub dubio continetur.

Quint. IV, 1 § 40: Genera porro causarum plurimi quinque fecerunt: honestum, humile, dubium vel anceps, admirabile, obscurum — —

---

[1] apparatur codd. bl (Marx); alii om.
[2] insulsissime V.

I, 7 § 11. *neque benivolum neque docilem* Huius genus exordii appellatur translatum. Quod obscurum esset, nisi alibi clarius tractaret. Dicit enim Quintilianus tria genera esse vitiosa, sc. extraneum vel separatum, quale illud est, quod non ex ipsa causa tractum est. Secundum, quod appellatur translatum, quod fit, quando facimus docilem, cum debeamus facere attentum. — — Tertium est, quod fit penitus contra regulas, ut si faceremus malivolos pro benivolis.

Quint. IV, 1 § 71: Alia exordiorum vitia verius tradiderunt. — — vulgare — — commune— — commutabile — — quod causæ non cohæret, separatum, quod aliunde trahitur, tralatum (sc. appellatur): præterea quod longum, quod contra præcepta est: quorum pleraque non principii modo sunt vitia, sed totius orationis.

IV, 12 § 18 *longam ⟨verborum⟩ continuationem* — — Quintilianus vero postquam Cicero hæc vitanda posuit, addidit aliqua servanda: primum, ut verbum in fine pro maiori parte ponatur, quod oratio crescat. Secundum, quod servetur ordo naturalis, ut 'pater genuit, nutrivit, in re publica collocavit.', Tertium, [et] quod dictio sequens non incipiat in eam syllabam, in qua finivit præcedens, ut 'dorica castra'.

Quint. IX, 4 § 26: Verbo sensum cludere multo si compositio patiatur, optimum est: in verbis enim sermonis vis est. Si id asperum erit, cedit hæc ratio numeris, ut fit apud summos græcos latinosque oratores frequentissime.

§§ 23—24 Primum igitur de ordine. Eius observatio in verbis est singulis et contextis. Singula sunt, quæ ἀσύνδετα diximus. In his cavendum, ne decre-

scat oratio et fortiori subiungatur aliquid infirmius — — —augeri enim debent sententiæ et insurgere — — — Est et alius naturalis ordo ut 'viros ac feminas, diem ac noctem, ortum et occasum' dicas potius quam retrorsum. Quædam ordine permutato fiunt supervacua, ut 'fratres gemini': nam si 'gemini' præcesserint, 'fratres' addere non est necesse.

Quid causæ esse putamus, cur talem discrepantiam deprehendamus? Verum est medio illo ævo Quintiliani librum sæpius in angustum coactum quam integrum adhibitum esse; quæ res si non omnia, at tamen nonnulla declarare potest.

Martiani Capellæ sæpius mentio fit. Quare — quod ad res quidem rhetoricas attinet — certam similitudinem videri posse credas. At non vidi. Quintiliano excepto Servii solius verba interdum in scholiis agnoscere licet. Hunc autem in Vergilio laudando adhibitum esse exempla, credo, demonstrabunt:[1]

I, 1 § 1 *libentius in philosophia [morali]* — — Tertia est philosophia naturalis, quæ physica dicitur, latine appellamus historiam

Vg. Ge. II, 490. Servius ad hunc locum: 'rerum causas' id est physicam philosophiam.

[1] His editionibus utor: Verg. ed. Ribbeck (Lips. 1859—*68); Serv.* ed Thilo & Hagen (Lips. 1878 sqq).

naturalem. De qua Vergilius: Felix qui potuit rerum cognoscere causas.

I, 2 § 2 *Oratoris officium* — — — Nam cum is ⟨qui⟩[1] oraturus est maximam in dicendo peritiam habere oporteat[2], in primis oportet eum ac convenit esse virum bonum et in omni certe virtute probatum. Unde Augustinus: In omni gravitate sermonis maius pondus habet vita dicentis. Cuius rei non immemor Vergilius volens bonum describere oratorem, eloquentiam ei tribuit et in primis auctoritatem, in primo libro sic: Tum pietate gravem ⟨ac⟩ meritis si forte virum [et] etc.

Vg. Ae. I, 151. Servius ad h. l.: *Gravem* venerabilem, unde et contemptibiles 'leves' dicimus. Et bene servat circa hunc rhetoricam definitionem, cui dat et iustitiam et peritiam dicendi, ut 'tum pietate gravem' et 'ille regit dictis animos'. Orator enim est vir bonus, dicendi peritus.

I, 2 § 3 *Elocutio* pars eloquentiæ est. Eloquentia vero generalis est, sed elocutio aptatio quædam verborum pro materia circa sententiam et verba. Nam si tractamus magna, altiloquis vocabulis utendum est; si parva, humilibus. Quod Vergilius diligentissime in suis operibus ex-

Cf. Serv. in principio comment. in Verg. Aen., p. 4: Est autem stilus grandiloquus, qui constat alto sermone magnisque sententiis. Scimus enim tria esse genera dicendi, humile, medium, grandiloquum.

Item Serv. in comm. in Verg. Ecl. prooemio, p. 1:

---

[1] qui *om.* h. [2] oportebat h.

secutus est. In Bucolicum humilibus, ut cum velit significare noctem, sic inquit: Et iam summa procul villarum culmina fumant (Ecl. 1,82). Nam si fuisset materia altiloqua, dixisset: Aureus occasum iam sol spectabat [amoenum] equosque Pronum iter urgebat facili transmittere cursu.[1] In Georgicis vero mediocribus, in Aeneidos altiloquis. — —

I, 4 § 7 *et si numero* sc. per nomina numeralia. Ut 'tria sunt quæ mihi videntur ad nostram rem publicam pertinere: ut boni magistratus eligantur, iusti præmientur et iniqui poenis afficiantur'. Item 'quoniam de benignitate veri Salvatoris tractatum est, ostendam eius gratiam per terram, per mare, per aerem et denique per omnes coeli partes esse diffusam'. Item Vergilius: Quid faciat lætas segetes, quo sidere terram Vertere, Mæcenas, ulmisque ⟨ad-⟩ iungere vites Convenia[n]t, Qualitas autem hæc est, scilicet humilis character. Tres enim sunt characteres, humilis, medius, grandiloquus: quos omnes in hoc invenimus poeta. Nam in Aeneide grandiloquum habet, in Georgicis medium, in Bucolicis humilem pro qualitate negotiorum et personarum: nam personæ hic rusticæ sunt, simplicitate gaudentes, a quibus nihil altum debet requiri.

Vg. Ge. I, 1—4. Servius ad hunc locum, v. 1: — — Et sciendum quattuor primis versibus textum sequentium quattuor librorum per ordinem contineri.

---

[1] Versum non inveni.

quæ cura boum, qui[s] cultus habendo Sit pecori, apibus quanta experientia parcis[1].

I, 9 § 15 *Rem dilucide — — ita primum exponemus* Ac si diceret, si narrabimus ordine naturali, quod est proprium oratorum; artificialis autem poeticus[2] est, quem servavit egregie Vergilius. Facit enim initium ab abitu Aeneæ de Sicilia, deinde appulsum tempestatibus ad litus Carthaginis; et ita apud Didonem resumit principium narrando ei exitum urbis Troiæ: cum ordo fuisset primo dicere versionem Troiæ, deinde adventum suum in Siciliam, postremo in Italiam.

Cf. quæ Servius in principio commentariorum in Verg. Aen., p. 4, habet: Ordo quoque manifestus est, licet quidam superflue dicant secundum primum esse, tertium secundum, et primum tertium, ideo quia primo Ilium concidit, post erravit Aeneas, inde ad Didonis regna pervenit, nescientes hanc esse artem poeticam, ut a mediis incipientes per narrationem prima reddamus et nonnumquam futura præoccupemus, ut per vaticinationem — — — unde constat perite fecisse Vergilium.

I, 11 § 19 *Casu et fortuito* Hoc fortuito casu per ἓν διὰ δυοῖν,[3] sicut apud Vergilium: pateris libamus[4] et auro.

Ge. II, 192. Cf. Serv. ad h. l.: *pateris et auro* pateris aureis: ἓν διὰ δυοῖν, ut molemque et montes.

I, 12 § 20 *cœlata* Signis impressa. Græci emblemata[5],

Ae. V, 536. Cf. Serv. ad h. l.: *Impressum signis* im-

---

[1] pecori et quanta apibus experientia partis h.

[2] V; h hic deperditum textum habet (artificiali, potitus). [3] endiadim. [4] libat h; libabat V. [5] emulate.

eo quod in eis imprimantur imagines, nos ab eis vocamus emblemata.[1] Sic Vergilius: 'Cratera impressum signis'[2], magnifice cum magnis impensis.

pressa signa habentem, id est emblemata.

II, 11 § 16 *deinde quando scriptum sit*[3] A tempore, in quo scriptum est, bene ostenditur, quam sententiam scriptor voluit, dicendo: 'In tempore illo scriptum est, in quo numquam prohibetur istud: non ergo prohibuit'. Vel sic: 'In tempore illo scriptum est, in quo numquam præciperetur hoc: ergo non est præceptum istud, quod dicunt'. Igitur patet, quod consideratio temporis removet ambiguitatem; sicut hic est apud Vergilium: Iam redit et virgo, redeunt Saturnia regna. (Ecl. IV, 6) Aliqui enim volunt dictum esse de Christo, quod certe de Salonino, Pollionis filio, dictum esse constat propter temporis similitudinem. Nam Vergilius fuit tempore Octaviani et Pollionis, non autem Chri-

Cf. Serv. ad Ecl. IV, 1: *Sicelides musæ p. m. c.* Asinius Pollio, ductor Germanici exercitus, cum post captam Salonam, Dalmatiæ civitatem, primo meruisset lauream, post etiam consulatum adeptus fuisset, eodem anno suscepit filium, quem a capta civitate Saloninum vocavit, cui nunc Vergilius genethliacon dicit. Quem constat natum risisse statim: quod parentibus omen est infelicitatis: nam ipsum puerum inter ipsa primordia perisse manifestum est.

Cf. etiam Iunii Philargyrii ad h. l. explanationem (Appendix Serviana, rec. Hagen p. 77—78): I. *Iam redit virgo* id est Iustitia fugiens malos hominum mores inter rusticos morata [est] in cælum abiisse fertur.

[1] emblemato. [2] signis impressum h. [3] quomodo scriptum esset, *lectio vulgata*.

sti; quod de eo prophetare potuerit, non sit verisimile. Et Pollio fuit ductor exercitus contra Germanos; quos cum vicisset[1] et consulatum adeptus fuisset, constat ei filium eo anno natum. Et immediate post ortum risisse, quod omen fuit infelicitatis, nam inter ipsa primordia est defunctus.

Ideo Iustitia virgo dicta est, eo quod incorrupta est, vel Maria. — — *Nova progenies* id est quidam dicunt inspiratum eum de Salvatoris adventu, quidam de adventu Salonini Pollionis, quidam de adventu Octaviani dixisse. II. *Virgo* id est Iustitia vel Maria. — — *Nova progenies* id est Augustum dicit. Aestimavit enim Vergilius, quod de Augusto prædixit Sibylla, cum de Christo omnia prophetavit.

II, 24 § 38 *Iniuria abs te afficior* — — — Huiusmodi conclusionem fecit Vergilius de Creusa, quæ rogavit Aeneam maritum, ne Troia incensa ipsam relinqueret; cui sic ait: Si periturus abis, et nos rape in omnia tecum; Sin aliquam expertus sumptis spem ponis in armis, Hanc primum tutare domum.

Ae. II, 675—77. Cf. Serv. ad h. l.: *Si periturus abis* argumentum dilemma, id est complexio, quæ adversarium ab utraque parte concludit.

IV, 7 § 10 *Bipertita igitur* — — — Vergilius in ultimo Georgicorum de apibus loquens, quasi de parva re et humili dicit, verbis tamen gravibus et altis usus est, [ac] mares apum reges, con-

Cf. quæ Servius ad initium Georg. IV habet: rhetorice dicturus de minoribus rebus magna promittit, ut et levem materiam sublevet et attentum faciat auditorem. Sane perite, quo-

[1] vicisset V, vixisset h.

gregationes earum exercitus, alvearia castra, lites ipsarum proelia vocando. Itaque 'Admiranda tibi levium spectacula rerum — — ⟨mo⟩res et populos et proelia dicam.' (Ge. IV, 3—5; omisso versu 4).

niam scit breve esse opus hoc de apibus et intra paucos versus posse consumi, usus est translationibus ad dilatandam materiam, dicens apes habere reges, prætoria, urbes et populos.

IV, 33 § 44 *superans veritatem* Non dicit — — 'veritatem propter mendacium', quia esset contra officium oratoris, nisi esset causa suadendi aliquem cum utilitate civitatis, sed dicit 'superans', quasi augens eam vel minuens, dicendo: 'O Danaum fortissime gentis, Tydide'. Non enim erat fortior Achille; sed dicit ad laudem Aeneæ, cum quo pugnavit. Quamquam subtilius intelligi possit innatum eum valde fortem; adauxit veritatem, non negavit eam.

Vg. Ae. I, 96. Cf. Serv. ad h. l.: — — Sane quæritur, cur Diomedem fortissimum dixerit, cum post Achillem et Aiacem ipse sit tertius, unde et Sallustius ait 'primum Græcorum Achillem.' — — Multi ad excusationem Aeneæ volunt fortissimum dictum, a quo eum constat esse percussum — — —

IV, 47 § 60 *per collationem* Tangit modum. Fit autem modus collationis, quando omnia in similitudine ad unguem comparantur. Unde super illo versu Vergilii: 'Latonæ tacitum per*temptant* gaudia pectus'

Versus est Ae. I, 502. Sed apud Servium h. l., ut nobis traditus est, non haec inveniuntur, sed aliæ tantum explanationes.

Servius ait non esse dictum per collationem, quia divinitas cum mortalibus non comparatur.

Mirum quod eo ipso loco, ubi scholion Servii nomen præ se fert, nihil simile apud eum invenimus. Quod quomodo sit explicandum, incertum est. Aut scholion e Servii textu quodam uberiore quam hodie habemus sit natum aut in errore scholion versetur, necesse est. Sed hoc, quamquam sæpe alias non nimis accurata scholia sunt (ex. gr. in verbis auctorum laudandis), tamen verisimile non videtur.

De scholiorum sermone disserere vix operæ pretium esse potest, cum, quod iam monui, ex partibus satis disparibus sine dubio constent. Ac posterioris ætatis barbarismos, hic copiosius, rarius illic, invenias. — Quin Grillii, ut rubrica, a qua scholia incipiunt, docet, scholiorum pars sit, cur dubitemus equidem non video. Etiam in textu scholiorum nomen Grillii sæpius legitur.[1] Quæ autem Grillio tribuendæ sint partes, in medio relinquere cogimur.

De V editione agens Marxius observat commentarium nonnumquam alia verba explicare quam quæ ipsius in textu leguntur (l. c. Prol. p. 61: apparet commentarium non ad hanc editionem sed ad librum manuscriptum pertinere); eandem inter commentarium

---

[1] Statuendum ergo videtur in rhet. ad Her. a Grillio commentarium scriptum esse. — Quod — ut supra dictum — præ ceteris Vergilius (in primo libro præcipue) sæpissime laudatur, si rem (*i. e.* scholia a Grillio profecta esse) non testatur, at tamen perbene convenit. Scimus enim (Priscianus, Grammat. lat. rec. Keil II, 35, 27: 'Grillius ad Vergilium de accentibus'), Grillium in studiis Vergilianis versatum esse.

et textum in h rationem intercedere apparet.[1] Sed ut vetustioris notæ, ut ita dicam, quam textus scholiorum lemmata interdum sunt, ita cum mendis non careant, ad rem criticam non multum valere possunt. Nonnullos tamen locos afferre libet: cf. quæ infra (p. 55) ad IV, 21 § 29 ex commentario allata sunt; item quæ ad IV, 28 § 39 (p. 63). Ad IV, 33 § 44 scholion est sub lemmate *Ex eodem genere;* vocabulum *ex* nullo codice traditum *Omniboni* emendatio habetur. Vide etiam (p. 79) ad IV, 39 § 51, ubi lectio *emissus* (non *ferocissimus*) præferenda dicitur.

Una tamen re mirum in modum scholia cum classis *M* codicibus H P B (Marxii signis utor) congruunt, eo quod similes rubricæ multæ inveniuntur. Quod autem non modo similes, sed eædem — eæque tales quales *Articulus gravis, Annominatio humilis,* aliæ — sæpe leguntur, admirationem nobis movere potest. Cuius generis rubricæ ut in h, ubi cum scholiorum textu leguntur, facile intelliguntur, ita in H P B satis obscuræ videri potuerunt. Neque dubitandum est, quin illæ rubricæ codicum H P B sint commentarii cuiusdam quasi reliquiæ. Qui commentarius

---

[1] Quod ad *textum* rhetoricæ ad Her. attinet, quem h præbet, Marxii classis *E* esse in aperto est, quamquam aliquando ab ea differt, velut: IV, 54 § 67 h habet *reverentia* = *M* (non *frequentia* = *E*). Præterea non raro mirum in modum cum *C* (Marx, l. c. p. 15) congruit, ut: IV, 14 § 20 *qui in Italia crudele bellum gesserunt.* IV, 16 § 23: *necesse est ut quoquo modo possit veneficio petat. Cur? Quia*... — IV, 39 § 51 h habet: *leo emissus,* quæ lectio in nullo alio codice invenitur, sed *Lambino* tribui solet. — Operæ pretium forsitan sit, si quis scholia, quæ codex *C*, notis Tironianis scripta, habet, inquisiverit (Marx, l. c. Prol. p. 17).

quominus h codicis quoque scholiorum origo habeatur, nihil certe obstat.

Quo facilius res appareat, infra et codicis h rubricas et codicum H P B et editionis V[1] per tabulas describam.

Liber I.

H P B.[2]	*h.*	*V.*
De insinuatione et tribus temporibus principii H P.		De tribus temporibus.
	De tribus narrationum generibus.	= h.
De narratione.	De narratione.	
De brevi narratione.	De brevi narratione.	= h.
De dilucida narratione.		De dilucida narratione.
De verisimili narratione.		De verisimili narratione.
	De divisione causarum.	= h.
		De confirmatione et confutatione.
	De constitutionibus causarum.	De causarum constitutionibus.
	De iuridiciali constitutione.	= h.

Liber II.

	De tribus generibus causarum.	= h.
De coniecturali.	De coniecturali.	= h.
De probabili P.	De probabili argumentatione.	= h.
De conlatione.	De collatione.	= h.

[1] V eo differt, quod in rhetoricæ ad Her. textu (non in scholiis) plerumque rubricæ interpositæ sunt.

[2] Si et H et P et B eandem rubricam habent, nullum signum adicitur; sin minus, ubi rubrica exstet, significatur.

H P B.	*h.*	*V.*
De signo P.	De signo.	= h.
De argumento.	De argumento.	= h.
De consecutione.	De consecutionibus.	De consecutione.
De adprobatione H P(B)	De approbatione.	= h.
De scripto et sententia.	De scripto.	De scripto et voce.
De contrariis legibus.		De contrariis legibus
De ambiguo.	De ambiguo.	= h.
De finitione P; De def. B; De diff. H.	De diffinitione.	= h.
De translatione.	De translatione.	= h.
De ratiocinatione.	De ratiocinatione.	= h.
De iuridiciali absoluta.	De iuridiciali absoluta.	= h.
De conparatione.	De comparatione.	= h.
De translatione criminis.	De translatione.	= h.
De concessione.	De concessione.	= h.
De necessitudine.	De necessitudine.	= h.
De inprudentia.	De imprudentia.	= h.
De fortuna.	De casu fortunæ.	De fortuna.
De precatione H; De depr. P B.	De deprecatione.	= h.
De remotione criminis H P.	De remotione criminis.	= h.
De argumentis H P.	De argumentis.	= h.
Expositio ratio H; Expositio P.		
Rationis confirmatio HP.		
Conplexio H (P).		
De vitiis exornationum P.	De exornatione.	
De vitiis argumentorum H.	De vitiosa argumentatione.	De argumentis.
De expositione vitiosa H P.	De vitiosa expositione.	= h.
De ratione vitiosa.	De ratione vitiosa argumentationis.	De vitiosa ratione.
{ De confirmatione rationis H.		
{ De confirmatione rationis vitiosæ P.	De confirmatione vitiosa.	= h.
De exornatione vitiosa H P.	De exornatione vitiosa.	= h.

HPB.	*h.*	*V.*
De conplexione vitiosa H P.	De complexione vitiosa.	= h.
De conclusionibus totius rationis H P.	De conclusionibus totius argumenti.	= h.
De amplificatione H P.		
{De conmiseratione H. {De commissa ratione P.		

Liber III.

	De genere deliberativo.	
De causa deliberativa H P.	De causa deliberativa tractatus.	
	De argumentis.	= h.
	De narratione.	
	De divisione.	
De causa demonstrativa H P.		
	De confirmatione.	
	De dispositione.	= h.
	De dispositionis ordine dicendorum.	
	De pronuntiatione.	= h.
	De mollitudine vocis.	De vocis mollitudine.
	De motu corporali.	= h.
	De memoria.	= h.
	De imaginibus rerum et verborum.	
	De imaginibus verborum.	
	De electione (?) imaginum.	

Liber IV.

Figuræ orationis sunt tres.		
Gravis figura.		
De mediocri figura.		
Vitium ad gravem figuram.	De figurarum vitandis vitiis. Et primo vitium	Vitium ad gravem figuram.

[illegible]	h.	V.
	ad gravem figuræ ornatum est tale.	
[illegible]	Vitium mediocris.	= h.
[illegible]	Vitium attenuatæ figuræ propinquum	Vitium attenuat[illegible]
[illegible]		
[illegible]		De ornamentis.
[illegible]		De elegantia.
[illegible]	De compositione	= h.
[illegible]	[illegible]	= h.
	[illegible]	= h.
	[illegible]	
[illegible]	[illegible]	De conversione
[illegible]	[illegible]	De complexione.
[illegible]	[illegible]	= h.
[illegible]	[illegible]	= h.
[illegible]	[illegible]	= h.
[illegible]	[illegible]	= h.
[illegible]	[illegible]	[illegible]
		[illegible]
[illegible]	[illegible]	[illegible]
[illegible]	[illegible]	= h.
[illegible]	[illegible]	= h.
		[illegible]
[illegible]	[illegible]	= h.
[illegible]	[illegible]	[illegible]
		[illegible]
	[illegible]	[illegible]

H P B.	*h.*	*V.*
Gradatio.	Gradatio color.	Gradatio.
Definitio mediocris.	De diffinitione colore.	Diffinitio.
Transitio mediocris vel etiam humile.	Transitio color.	Transitio.
Correctio mediocris.	De correctione.	Correctio.
Occupatio mediocris.	De occupatione colore.	Occupatio.
Disiunctum et grave.	Diffinitio[1] alias disiunctio.	Disiunctio.
Coniunctio mediocris.	De coniunctione.	Coniunctio.
	De adiunctione.	Adiunctio.
Conduplicatio gravis.	Conduplicatio.	= h.
Interpretatio gravis.	Interpretatio.	= h.
Commutatio mediocris.	Commutatio.	= h.
Permissio leve.	Permissio.	= h.
Dubitatio et grave.	Dubitatio.	= h.
Expeditio mediocris hæc est necessaria conclusio.	Expeditio.	= h.
Dissolutum grave.	Dissolutio.	= h.
Præcisio gravis.	Præcisio.	= h.
Conclusio mediocris pene humili consequentia.	Conclusio.	= h.
Nominatio gravis *ονοματοποιια* P.	Color nominatio.	Nominatio gravis.
Pronominatio gravis.		Pronominatio.
Denominatio gravis.	Color denominatio.	Denominatio.
Circumitio gravis.	Circuitio.	= h.
	Transgressio.	= h.
Superlatio gravis.	Color superlatio orationis.	Superlatio.
Intellectio gravis.	Intellectus orationis color.	Intellectus.
Abusio.	Abusio orationis color.	Abusio.
Translatio gravis.	Translatio orationis color rhet.	Translatio.
		Permutatio.

[1] Error manifestus.

HPB.	*h.*	*V.*
Sententiarum exornatio.	De sententiarum ornatibus.	
	Incipit tractatus colorum de ornatu sententiarum.	
		Distributio.
Licentia.	Licentia color rhetoricus.	Licentia.
De deminutione.	Diminutio color rhetoricus.	Diminutio.
De descriptione.	Color descriptio.	Descriptio.
De divisione.	Divisio.	= h.
Frequentatio.	Frequentatio color.	Frequentatio.
Expolitio.	Expolitio color.	Expolicio.
Simplex.		
Ratio.		
Simplex.		
Contrarium.		
Simile.		
Exemplum.		
Conclusio.		
Conmoratio.	Comoratio color.	Commoratio.
Contentio.	Contentio orationis.	Contentio.
	Similitudo color.	Similitudo.
Exemplum.	Exemplum.	= h.
Imago simili.	Ymago color.	Imago similis.
Effectio.	Effectio color.	Effectio.
Notatio.	Narratio[1] orationis.	Notatio.
Sermocinatio.	Sermocinatio color.	Sermocinatio.
Conformatio.	Conformatio color.	Confirmatio.[1]
Significatio.	Significatio color orationis.	Significatio.
Brevitas.	De brevitate.	= h.
Demonstratio.	De demonstratione.	= h.
	Epilogus libri.	

[1] Error manifestus.

Comparationem ut persequar, rubricæ quædam *codicum* H P B (quæ in h non eædem leguntur) cum

iis, quæ scholia codicis h docent, conferentur. Videmus codices H P B rubricam *Contentio gravis* habere, h (V) *De contentione.* In scholio autem (sub lemmate *ornati*; vide infra p. 49) h hæc habet: 'notatur eum valere ad gravem stilum'. Eodem modo sæpius res se habet: *Exclamatio gravis* H P B habent; in scholio h legimus (p. 50): 'patet, quod gravi figuræ est accommodatus'. — H P B: *Interrogatio mediocris*; in h scholion (p. 50): 'In mediocri figura plurimum valet'. — H P B: *Ratiocinatio mediocris*; in h scholion (sub lemmate *per quam*, p. 51): '— — in mediocri figura maxime et in humili, sed non in alta'. — H P B: *Sententia mediocris*; in h scholion (p. 52): 'Mediocri figuræ bene convenit'. — H (in P B paulo aliter legitur): *Subiectio ut dicitur nihil mediocris videtur*; in h scholion (sub lemmate *cum interrogamus,* p. 57): 'in gravi figura convenit'. — H P B: *Disiunctum et grave*; in h scholion (p. 61): 'In demonstrativo genere valet et in gravi figura'. — H P B: *Interpretatio gravis*; in h scholion (p. 62): 'in gravi figura potest poni'. — H P B: *Permissio leve;* in h scholion (p. 64): 'Non valet in gravi figura — — In attenuato vel mediocri potest valere'. — H P B: *Dubitatio et grave*; in h scholion (p. 64): 'In gravi figura valet'. — H P B: *Pronominatio gravis*; in h scholion (p. 68): 'In omni figura, sed maxime in gravi, potest valere'. — H P B: *Circumitio gravis*; in h scholion (p. 70): 'Valet in omni figura, sed præcipue in gravi'. — H P B: *Superlatio gravis*; in h scholion (p. 72): '— — valet in omni figura, sed magis in gravi'. — H P B: *Translatio gravis*; in h scholion (p. 73): 'In omni figura potest valere, sed magis in gravi'.

Apparet exempla — etiam alia quam quæ easdem rubricas præbent — non rara inveniri, ubi similitu-

dinem certam deprehendere licet. Quare quamquam exemplorum pars (quam ceterorum certe multo minor) est, ubi colori cuidam aliam quasi provinciam codicum H P B rubricæ, aliam scholia dant,[1] tamen quin originis quædam communio inter utraque sit, dubitandum non videtur.

Cum totum scholiorum textum edere iam copia eorum permagna vetaret particulasque tantum proferre possem, ut maxime idoneæ, quæque scholiorum naturam optime illustrarent, eligerentur, mihi videndum erat. Quam ob rem exempla quædam (ex primo libro) sumpsi, quæ in arte rhetorica docenda ficta et usurpata esse videntur; tum quarti libri commentarii partes proferam, quæ ad id, quod de rubricis illis iam disputatum est, quodam modo pertinent. Ac ne quis miretur, quod idem in scholiis sæpius repeti vel res futiles afferri videt, monendum est, scholia, cum id agatur, ut natura scholiorum exhibeatur, quam minime recidi oportere.[2]

---

[1] Ubi codicum H P B rubrica 'gravis' vel 'mediocris' habet, h interdum 'valet in omni figura' tantum dicit. De aliis denique (quamvis paucis) coloribus h non dicit, cui figuræ maxime conveniant.

[2] Numeris locum (rhet. ad Her. textus), ad quem quodque scholion pertinet, significo eademque, quæ in codice, verba lemmatis vice funguntur. Asterisco lectio incerta notatur; duobus vel pluribus asteriscis lacuna.

I, 2 § 2 *Oratoris officium.* Totus hic liber in quattuor volumina divisus est et male quidam in quinque dicunt, facientes unum librum eam partem quarti, in qua confutat Græcos, qui dicebant exempla ab aliis et non ex se ipsis esse sumenda. — — —

I, 2 § 3 *Exercitatio* Ut Vergilius fecit: Nam priusquam publice aliquid scriberet, scripsit Moretum et multa alia, ut promptitudinem compararet. Cicero quoque multa convertit in latinum, scripsit et declamavit. Solebant etiam antiqui se exercere in thematibus fictis, ut facere accusationem, defensionem deinde. — —

I, 3 § 4 *præparatur*[1] Propter insinuationem per quam animus auditoris non intelligens, quid velit dicere, præparatur. Ut si quis orans pro filio Ciceronis ad iudicium adducto dicat: Nemo est vestrum, iudices, qui ignoret, quantos labores, quantas animi molestias Ciceronis pater passus sit, dum studeret patriam a manibus hostium liberare. Quare cum nullum pro hac re præmium a nobis pater tulerit, nunc tempus est, ut Ciceroni filio conferamus. — —

I, 4 § 6 *qua re causa sit honesta* Hoc fecit pro Archia poeta, qui eum litteris græcis instruxerat [et]

[1] apparatur *codd. bl, alii vocem omittunt.*

quibus tantum facultatis oratoriæ consecutus fuerat, ut in omni genere orare maxime posset. Accusatus ergo Archias præceptor suus a Graccho[1], quod civis non sit, ut consequeretur ipsius Archiæ hereditatem, a Cicerone defensus est et huiusmodi exordio usus est: si apud maiores nostros est conservatum, o iudices, ut præceptores pro parentibus haberentur, debeo, quantum est situm in me, huic præstantissimo viro et integerrimo et opem et salutem afferre; et eo magis, quoniam illius doctrina et optimis præceptis ita institutus sum, ut nonnullos aliquando defenderim[2]. Nam si ceteros adiuvamus, a quibus nihil utilitatis ad hanc rem adipiscendam consecuti sumus, quanto magis ei attribuere debemus, a quo id accepimus, per quod etiam ignotis prodesse possumus. *Aut breviter quibus de rebus*, hoc modo: Cum ergo in iudicium sit vocatus Archias a Graccho[1], quod non sit civis, ego ostendam eum esse civem; et id quidem per testes locupletissimos et fide dignissimos

I, 4 § 7 *docilem, benivolum [et] attentum* Mutatus est ordo librariorum negligentia. Nam eo ordine Cicero composuit, quo est tractaturus. Quin, immo naturale est, ut primo velimus doceri, postea cum omni diligentia et attentione audiamus, inde is qui oraturus est, nobis fiat benivolus adeo quod ab eo libentius quam a ceteris audiamus.

I, 5 § 8 *in amicos* Oraturus Cicero primo Pompeio imperatore deligendo in senatum accessit insolitus. Sed quia eius audentiam[3] mirari nonnulli potuissent, in hunc modum exorsus est: Nolite mirari,

---

[1] Gratio *legendum est.*
[2] Cf. Cic. pro Arch. 1, § 1. [2] Gratium *legendum.*
[3] audientiam h.

patres conscripti, si antehac numquam in senatum oraturus accesserim. Sciebam enim orationem promptam et optime exercitatam in hoc loco versari nihilque huc nisi perfectum ingenio et elaboratum industria afferri oportere.[1] Itaque in foro me prius exerceri volui et ita me exercui, ut nulli amicorum umquam defuerim.

I, 5 § 8 *magnifice videri*[2] — — — Tali igitur utemur exemplo Roscii, quem paulo ante accusatum diximus a Clodianis militibus, ut eum ab hereditate patris depellerent: Nulla inter tantas molestia sollicitudines Roscius afficitur, iudices, cum proprie intelligat vos huiusmodi esse, ut nullas Clodianorum militum minas formidetis, nullas audiatis preces neque ullo argenti aurive pondere moveamini, quin ipsum adolescentem, præsertim innocentem[3], ab impetu crudelium hominum defendatis.

I, 5 § 8 *existimatio* Bono quidem et optimo civitas nostra pendet iudicio, cum sciamus tali ingenio vos esse præditos, ut nullius timeatis iniurias, nullius inimicitias, nullum denique impetum improborum hominum, qui animum vestrum ab officio deterreant.

I, 5 § 8 *expectatio* Cum hoc ita sit, iudices, nulla incidit dubitatio inter nostros cives, quin absolvatis hunc præstantem adolescentem, qui ab improbis accusatur solum, ut eum de paternis bonis eiciant.

I, 6 § 9 *rem [pro homine]* Pyrrhus, rex Epirotarum, omnium suo tempore peritissimus rei militaris, a Tarentinis in auxilium vocatus, bis[4] Romanos exercitus

---

[1] Cf. Cic. de imp. Cn. Pomp. 1 § 1.
[2] iudicatas *textus receptus.*
[3] ignoscentem h; innocentem V. [4] bis V, is h.

profligaverat.[1] Habuit secum his temporibus in castris quendam medicum Niciam sive Democharem litteratissimum virum et philosophum maximum; qui forte aliquibus affectus iniuriis a Pyrrho sese contulit ad Romanos et mortem Pyrrhi eis pollicitus est, si illi id gratum intelligerent. Romani autem viribus victoriam quærentes, non dolis, vinctum illum Pyrrho remiserunt; qua de re ductus est ad supplicium.[2] Materia igitur haec turpis est respectu auditoris; verum quia Pyrrhus[3] doctissimus fuit et litterarum amantissimus, res ipsa videtur honesta. Itaque orator poterit hoc uti exordio: 'Cum nulla in proditores habenda sit misericordia, o Pyrrhe magnifice, non negabo Democharem omni[4] supplicio esse dignissimum. Verum cum medicinæ peritissimus, philosophus maximus sit omniumque bonarum artium sapientia eruditus, curandum est a te, o Pyrrhe, ne tanta scientia, tot bonæ artes multis ac maximis laboribus comparatæ in hoc brevi spatio depereant'. Itaque non homini, sed eius doctrinæ ignoscendum videtur.

I, 6 § 9 *hominem [non rem]* sc. cum homo ipse placet auditori, sed res ipsa invisa. Accusatus est Scipio Africanus de pecunia male tractata: materia displicet auditoribus, iterum est honesta persona, quia Scipionis nomen omnibus Romanis gratissimum semper fuit. Tali igitur exordio utetur: Vita Scipionis huiusmodi esse debet apud vos, patres conscripti, ut eius viri apud vos commemoratio sit habitura, quia, cum tantæ sit auctoritatis in nostra re publica, tantæ prudentiæ [viri], tot rei publicæ beneficia contulerit,

---

[1] profligaverat V, profugaverat h. [2] Cf. Gell. 3, 8; Ammian. 30, 1, 22. [3] Demochares *legendum videtur.* [4] omnium V.

danda opera est, ut plus possit apud vos vera virtus et ipsius Scipionis præstantia quam[1] accusatorum et improborum obtrectatio. Itaque homini ipsi honestissimo potius quam obtrectatoribus fidem tribuatis. — Notandum est Ciceronem hoc in loco aut defecisse aut ignorantia et defectu librariorum prætermissum fuisse. Nam ipse in arte veteri et in multis aliis commemorat ad insinuationem pertinere etiam ponere rem pro re et hominem pro homine.[2] Rem pro re, hoc modo: Pisistratus, civis primarius[3] Athenarum, filiam habuit, cuius amore adolescens quidam mirum in modum tenebatur. Is oblata occasione loci et temporis puellam osculatus est. Accusatus adolescens de pollutis cærimoniis; poterit aliquis orator uti hoc exordio illum defendendo: Si considerare volumus, nulla iniuria, nullus animus, nulla cupiditas nocendi fecit[4], ut hic adolescens filiam tuam oscularetur, verum amor ipse improbissimus et propensissima in filiam tuam benivolentia adolescentem hunc ad hoc facinus instigavit. Itaque amori ipsi, non iniuriæ hoc vitium debetis adscribere. — Hominem pro homine: Turnus cum Aenea in monarchia[5] pugnans succubuit: turpe, si quidem erat hostem ab hoste veniam impetrare, idque non sibi, sed patri suo, iam ætate confecto, expostulat, qui audita filii morte ilico interibit. Atque ita inquit: Dauni miserere senectæ, fuit et tibi talis genitor.[6]

I, 6 § 9 *aut de minore* Si orator defendens Roscium suspicionibus et coniecturis solis accusatum

---

[1] quam ipsorum h.

[2] Cf. de inv. I, 17 § 24. [3] patriciarius h, primarius V. [4] fuit h, fecit V. [5] monomachia *fortasse legendum.* [6] Cf. Verg. Ae. 12, 933—34.

dicat maiores nostros noluisse[1] per suspiciones solas et in re pecuniaria sententiam proferre, hoc modo: Accusatus est Roscius apud iudices, et quidem falso, quod patrem occiderit, et per suspiciones et coniecturas ad iudicium adductus. Sed debetis recordari maiores nostros, quorum in omni re semper valuit auctoritas, noluisse adversus quemquam [esse] furti coniecturis accusatum[2] sententiam iudicem proferre. Vos igitur Roscium falso suspicionibus tantum accusatum in re criminali damnabitis?

I, 6 § 9 *aut de maiore [ad minus]* sc. ut si quis dicat L. Antonium non esse damnandum, quod servum suum per factionem ad Pompeium fugientem occiderit, hoc modo: Nonnulli sunt, qui L. Antonium accusant, quod servum suum ab itinere retractum usque ad necem pulsaverit. Sed hi mihi non videntur recordari Fulvium eius filium Catilinæ castra sequentem occidisse et addidisse se filium suum patriæ, non Catilinæ, non proditoribus genuisse.

I, 6 § 9 *et similitudinem conferimus*[3] i. e. iudicium aliorum per comparationem assimilabimus, hoc est ratiocinabimus, hoc modo: cum igitur Fulvius filium non verberaverit, sed occiderit propria manu pro patria; sed Antonius non occiderit, sed tantummodo servum pulsaverit, nonne debetis L. Antonium absolvere ab hoc levi crimine, cum ille in tanto ac tam immani scelere fuerit absolutus.

I 6 § 9 *occulte dicemus,* sc. per occupationem colorem hoc modo, si diceret Roscius: Molestum est mihi, o iudices, hoc crimen, cum ego filius pius par-

[1] voluisse h V. [2] accusatus h V.
[3] conferemus *textus receptus.*

ricidii sim accusatus, sed eo est molestius, quod a Chrysogono[1], sceleratissimo servo, et qui in cæde hominum semper versatus est huius criminis fuerim accusatus. Cuius flagitia tacere institui, qui⟨a⟩ periculosum arbitror omnia declarare, quæ de illo dici possunt; quia lingua nonnumquam vocem dicentibus abstulit.

I, 6 § 10 *apologo* Apologus est sermo confictus ad moralitatem et vitæ humanæ instructionem, ut sunt Aesopi figmenta et Aviani[2]. Nam cum aves omnes, ut regem eligerent, in unum convenissent et pavo ornatior processisset, decreverunt eum cunctæ tamquam pulchriorem eligere. Sed cum interrogatus esset, ut sententiam proferret suam, quoniam rauce locutus fuerat, ab conspectu avium abiectus est, et aquilam, quæ illius æmula fuerat, sibi deligerunt. Poterit ergo hoc apologo uti hoc modo: Videtis omnes, iudices, hunc adversarium meum tanto nitore corporis et ornatu vestium in conspectum vestrum processisse, tamquam in hac causa [se] principem [esse]. Sed quoniam rauce locutus est tamquam pavo, ab conspectu vestro abicietur.

I, 7 § 11 *commoditatem* i. e. ad effectum docilitatis et attentionis et benivolentiæ, ex quibus orator commoditatem causæ consequitur. Ut si quis oraret pro filio Ciceronis, qui sceleribus deditus ab ineunte ætate fuit, hoc modo: Quamquam, o iudices, filius omni supplicio ob eius ingentia vitia dignissimus videatur, tamen Ciceroni patri consulendum est, qui doloribus conficeretur, et magis, quoniam ille nullos

---

[1] Grosogano.
[2] et Aviani V *om.*

dolores, nulla pericula evitavit, ut nostram rem publicam ab hostium manibus incolumem liberaret.

I, 8 § 12 *cum exponimus rem.* Bene dicit rem gestam, quoniam vera narratio de præterito est, ideo iudicialis est propria, quamquam et iudiciali improprie accusemus de futuris, ut si domus vicini casura esset super meam, tunc posset illud deferri ad iudices, tamquam si esset factum. Sed si in aliis generibus contingat, incidens est et fit ad confirmationem et tamquam de præterito fit. Nam in demonstratione non potest cadere, quoniam vera laus est sermo cum honore rerum gestarum. Deliberatio autem de futuro semper est et vocatur hoc genus proprie oratorium et ordine naturali semper tractat.

I, 9 § 15 *neque nove.*[1] Secundum sententiam Octaviani, qui scribens ad quosdam suos nepotes, iussit novitates vocabulorum non secus evitandas esse quam solent scopulos a navigantibus. Quale esset, si vellemus dicere: 'Decreta senatus nullo modo curo' et diceremus: 'dephe (?) et gerusia susque deque fero'. Quia dephe significat decretum, gerusia senatum, susque deque fero negligo.

I, 9 § 15 *ne quid contorte* et immoderatis metaphoris, hoc modo: 'Addidisti mihi verbis tuis quandam muscam ad legendum'; muscam pro stimulo intelligens, quæ solent mordere canes. — — —

I, 9 § 16 *ut natura.* Est autem natura vis quædam ingenita illi, de quo loquimur, hoc modo: Clamant discipuli omnes hodie non esse legendum, quoniam hic dies festus sit et ab omnibus celebratur. Pueros enim omnes ab laboribus libenter vacare ma-

---

[1] ne quid nove *textus receptus.*

nifestum est. Contra autem esset: Puer hic nullis laboribus fatigatur,[1] nullis spectaculis delectatur, a senis latere numquam disgreditur nec a suo studio cessare visus est. — —

I, 10 § 17 *trium [partium] numero.* Hic dat quandam doctrinam; dictum assignat rationes huius præceptionis, quæ quidem Ciceronis non sunt. Nec sumptæ sunt ex medio foro et ab exercitatione, sed ab angulis scholarum et ab imperitia magistrorum. — —

I, 11 § 18 *Constitutio est prima.* Si quidem omnis constitutio capit vocabulum a responsione defensoris, quia, si negat factum, vocatur coniecturalis, si concedit et dicat iuste fecisse, appellatur iuridicialis. Si de neutro fiat contentio, sed de vocabuli definitione tantum contenditur, fit legitima. Et propter hoc dicit 'prima deprecatio', quia licet in eadem causa interdum suboriantur duæ constitutiones diversæ, tamen capit nomen a prima responsione accusati, hoc modo: 'Occidisti Clodium, o Milo'. 'Occidi et iuste feci'. Hæc est constitutio iuridicialis, licet suboriatur coniecturalis, si respondeat alter hoc modo: 'Iniuste fecisti, quia ipse non volebat interficere te'. 'Immo volebat'. Hæc enim ultima est coniecturalis.

I, 12 § 22 *reus dicat.*[2] Ille, cuius res geratur in controversia, sive nocens sit sive innocens. Et item si miles accusatus ad prætorem dicat se non prætori, sed censori obligatum esse. Alias tamen translationis rationes posuit Cicero in rhetorica veteri;[3] ut puta de poena, velut si quis in carcerem correctus ostendat

---

[1] fatigatus h V.
[2] dicit *textus rec.*
[3] Cf. Cic. de inv. I, 11 § 16.

se carcere non esse dignum, sed poena tantum pecuniaria. Quas quidem partes duabus rationibus in hoc libro videtur prætermisisse: aut quia hæc partes, quæ positæ sunt, multas alias comprehendere possunt, ut si dicemus iudicem mutandum, intelligatur locus etiam et poenam esse mutandam; aut quia in hoc libro intendit Cicero definire translationem per modum exempli, sed extra non omnia requirit, quæ sub ea comprehendi possunt.

I, 14 § 24 *fortunam [et] necessitatem.* Fortuna est casus inopinatus, per quem impeditur voluntas faciendi, ut puta aliquis revertens in patriam impeditur a fluviis. Necessitas vero est, quæ cogit nolentem, ut puta fluvius cogit eum tardare, qui in patriam proficiscitur. Has tamen duas partes Cicero in rhetorica veteri alio ordine ponit; nam pro fortuna ponit necessitatem et e converso.[1] Quod certe non est mirandum, quoniam diversis rationibus habitis de utraque facile ambæ in alteram commutari possunt. Nam cum dicimus incrementa fluviorum iter impedisse nostrum inceptum, eadem ratione possumus dicere nos per incrementa eadem coactos fuisse, ut tardaremus.

IV, 1 § 1 *Quoniam in hoc libro.* Hic incipit quartum volumen. In quo Tullius acturus de elocutione præmittit prooemium, in quo ostendit sibi licere propriis uti exemplis et non oportere sumi exempla alio-

---

[1] Cic. de inv. I, 11 § 15: Hæc (= purgatio) partes habet tres, imprudentiam, casum, necessitatem. — *Ubi discrepantia?*

rum. Et hæc fuit causa quare huic libro magis præposuit prologum quam præcedentibus, quia in prioribus nihil contra morem Græcorum egit, hic vero ponendo propria exempla, relinquit eorum vestigia. Et ideo, ne stulte in hoc videatur fecisse, præmittit prooemium. — — —

hoc libro conscripsimus. Ergo totus hic liber continet confutationes Græcorum et exornationes. Quod est contra eos, qui dicunt duo esse volumina. Et bene plurali numero dicit *conscripsimus*, quoniam prius librum conscripserat, quam hoc prooemium audisset. Et posuit præteritum, quia antiqui perfecto opere prologum præponebant.

IV, 3 § 4 *in studium.* Quidam libri habent *stadium*, et ponitur ibi stadium pro exercitio formandi exempla. Et sic metaphoram exsequitur.

IV, 3 § 5 *et suum quisque* hic aliud [sc. ostendit inconveniens] * * * apologum de cornicula denudata plumis a ceteris avibus.[1]

IV, 5 § 7 *Galba.* Hic Galba erat, qui et cum ipse apud Augustum esset oraturus, petiit, ut errata sua corrigerentur. Cui respondit Augustus: possem emendare, corrigere autem non. Et fuit æmulus Catonis.

IV, 5 § 7 *Crasso et Antonio.* Hi duo introducuntur in libro de oratore Ciceronis.

IV, 7 § 10 *Postremo* — — nomina colorum, quæ transtulimus a græco, ut *ὑπερβολή, ὕστερον πρότερον,* quæ in Martiano habentur — —

IV, 7 § 10 *figuras orationis.* Alii genera, alii stilos, nonnulli characteres vocant.

---

[1] Cf. Hor. Ep. 1, 3, 19; Phædr. 1, 3.

IV, 8 § 11 *Mediocris est.* Definit eam. Mediocris est quæ aliquantulum humiliorum verborum constructione constat. Neque tamen in tantum humili, quousque ad attenuatam figuram, quæ vulgaris et communior est ceteris, in elocutione quotidiana descenderit. Sed partim verbis illius, partim istius utatur. Ita quod nec magis gravia quam humilia [non] immiscere intendat.

Attenuata. Est quæ demissa[1] est, id est quæ descendit usque ad quotidianum sermonem; hoc est, in qua verbis usitatis et quotidianis utimur.

In gravi figura. Ostendit, quomodo tractetur datis descriptionibus quarundam proprietatum et assignatione unamquamque figuram manifestius determinat hic. Et prius post descriptionem gravis figuræ docet, quid sit faciendum in gravi figura, et hoc præmittit per proprietates et per rationes, deinde per exempla. Dicit ergo, quod ibi debent esse verba ornatissima et ponderosa, sive illa sint propria nomina rei sive extranea, i. e. translata de alia significatione, ut 'flos ætatis' ponitur pro 'adolescentia'.

Sive extranea i. e. sive translata aliunde per metaphoram [hoc est proprietas], ut pastor pro episcopo; canet humus, i. e. alba est.

IV, 8 § 11 *In hoc genere.* — — Et est sumptum hoc exemplum a quadam oratione, quam fecit contra Catilinam.

IV, 10 § 14 *Nam ut forte.* — — Vel secundum Quintilianum hoc genus absque constitutione sæpe reperiri solet.

IV, 10 § 14 *sine me considerare,* i. e. dimitte me

---

[1] dimissa h.

pædagogum meum consulere; quia stupescens ex subita appellatione nesciebat quid respondere.

Vel ita: *Sine considerare,* i. e. inquirere, quomodo factum sit, et post tibi faciam, quod æquum erit.

IV, 10 § 15 *Prisca verba*[1] i. e. antiqua, sicut platinam (?), duræ translationis, ut illius qui ait: 'Dumeta Porphyrii cutello rationis eviscerabimus'; verba quæ sunt maioris ponderis quam propositum postulat.

Priscis Remotis ab usu præ antiquitate, ut sunt verba Plauti et Ennii et talium antiquornm, quæ demissa sunt.

Aut duriter translatis. Ut est dura translatio, ut si quis dicat: 'Eviscerabo dumeta Porphyrii telo rationis'. 'Dumeta' pro 'difficultate'; 'telo' seu 'cutello' pro 'acumine' ponitur hic.

IV, 10 § 15 *in Neptunias lacunas* sc. in mare. Et est graviter dictum et gravis translatio et dura.

Depultus pro depulsus. Sic antiqui, a depello, -lis. Nam antiqui loco *s* ponebant *t* ut 'pultare' pro 'pulsare'.

IV, 13 § 18 *insignita* — — — Notandum quod istorum colorum quidam magis valent ad unum genus causæ quam ad aliud, quidam magis ad unum stilum quam ad alium, quidam ad unam partem orationis rhetoricæ et non ad alias. Et ideo diligenter est attendendum ex verbis auctoris et exemplis et proprietatibus, quas auctor assignat eis, quis color ad quod genus causæ, ad quem stilum, ad quam partem orationis rhetoricæ magis conveniat. Quod[2] etiam ipse auctor in coloribus quibusdam assignat, ut per hoc

---

[1] priscis verbis *textus rec.*
[2] quid h.

appareat differentia inter ipsos colores et sciatur, quis color cui generi causæ vel cui parti aut cui figuræ et cui constitutioni conveniat. Hoc enim facere maxima virtus est in oratorio et orationis dictatore.

IV, 13 § 19 *Repetitio.* — — — — Repetitio est unius et eiusdem verbi in principio diversarum clausularum continua positio. — — — — Et maxime convenit iudiciali generi[1], quia multum valet ad acriter * * * et ad invehendum. Potest autem poni in aliis generibus; valet etiam in confirmatione triplici et in alto stilo et in aliis etiam potest uti orator. Item nota quod, cum de eodem colore plura ponat Tullius exempla [unumquodque eorum, quando sumitur de uno genere causæ] aliud vel alia sumpta sunt de alio genere causæ, ut in repetitione. Nominanda sunt autem hic aliqua et pauca ad cognitionem dicendorum pertinentia. Nam hunc ordinem servat Cicero, quod primo definit, secundo ponit exempla, tertio ostendit coloris cuiusque effectum. In quibus poterimus causas varias et, in quo genere utendi sunt, per diversa exempla cognoscere, omnia librare et ad quid dicta sunt.

IV, 13 § 19 *Scipio sustulit* sc. minor, Lælii amicus; i. e. delevit. Hoc sumptum est demonstrativo genere, tamquam hoc diceret ad laudandum Scipionem. Possunt enim notari in eodem exemplo plures colores, puta hic Similiter cadens; sed in suis locis declarandi sunt.

IV, 13 § 19 *Item tu in forum prodire.* Hoc exemplum et cetera quæ sequuntur sunt de iudiciali genere, tamquam si inveheretur in aliquem [actum] de aliquo crimine.

---

[1] genere h.

tum lucem Accusat Catilinam vel alium coniuratorem. Ex quo et in iudiciali genere haberi potest. Potest autem et hic color continere quinque clausulas et non pauciores tribus, quod si plures aut pauciores erunt, desinet esse color.

IV, 13 § 19 *deprecari* deprecativum est, i. e. depellere et removere. Hæc autem exornatio duplicem habet effectum: si in genere demonstrativo sit, levis et suavis est[1] ornatus, si in[2] iudiciali sit, gravis et acer.

IV, 13 § 19 *Hæc exornatio.* Commendatio huius coloris; quia enim magnæ pulchritudinis est et magni ponderis, ad acuendos auditores ad indignationem et præcipue gravi stilo convenit.

IV, 13 § 19 *Conversio est quæ.*[3] Hic color contrarius superiori: nam ille a principio fit, hic autem a fine. Et vocatur *συγγραφή*,[4] in quo non solum ultimum verbum, sed etiam duo repeti solent. Et descendit ex alio iste color, qui sic definitur: Conversio est unius et eiusdem verbi in fine diversarum clausularum continenter repetitio. Vel sic: Conversio est eiusdem finis repetitio. Et hæc est cum priore diversitas, dicta autem conversio respectu præcedentis. Et valet, ubi etiam repetitio.

IV, 13 § 19 *Nam.* Continuatur, non hic, sed ad hoc quod prædictum[5] est in causa, unde sumptum est exemplum hoc. Animadvertendum quod primum exemplum ad demonstrativum secundum laudem generalem, sc. populi Romani, secundum ad deliberati-

---

[1] et h, V. [2] in V, h *om.* [3] per quam, *textus rec.* [4] Singrophi h, V. [5] prædictus h.

vum, item tertium ad demonstrativum secundum laudem certæ personæ, quartum ad iudiciale spectat. Notat itaque locos in his exemplis.

IV, 14 § 20 *Complexio est.* Hæc dicitur a συμπλοκέω[1] i. e. complector. Complexio est similis eiusdem principii et finis repetitio.

Videte ergo. Hoc non est de colore, sed est sententiæ orationis perfectio et superiora concludit.

conveniat, etc. Et hoc exemplum est deliberativum, sequens autem de iudiciali sumptum.

eum vos. Hoc non est de colore, sed finitur conclusio sententiæ. Complexio enim est unius verbi, alterius in principio, alterius in fine, in diversas clausulas repetere.

IV, 14 § 20 *Traductio, Μετάθεσις* græce. Et est eiusdem vocabuli transpositio, nunc ad principium; nunc ad finem, nunc ad medium, ut non sit locus certus. — — —

Qui nihil. Est in genere deliberativo. Et carpit[2] unum, qui dabat operam solum, ut viveret diu, non ut recte viveret.

IV, 14 § 20 *Item: Eum hominem.* Hoc est exemplum in genere iudiciali per mutationem solius vocabuli, de uno qui hominem occiderat.

IV, 14 § 21 *in altera re.* Utitur sæpius Cicero hoc vocabulo 'res' pro 'significatione', sicut hic.

IV, 14 § 21 *inest festivitas.* Inquit quidam rhetor: habent etiam acrimoniam, sicut repetitio.

IV, 15 § 21 *Contentio,* Græce ἀντίθετον [latine], quoniam in ea contraria contrariis ponuntur. Fit

[1] simplocheo. [2] carpit V, capit h.

autem non solum ex verbis contrariis, sed ex aliquo modo diversis, velut in exemplis est. Et valet color iste in demonstrativo genere, in confirmatione et repetitione. In alto stilo potest poni. Sic autem definitur: Contentio est contrariorum verborum acceptio. Vel sic: Contentio est contrariorum verborum verbis contrariis assignatio. Et in coloribus sententiarum reperitur. Nam ubi verborum est contrarietas, et rerum, et e converso, nisi in aliam significationem a propria transferantur aliqua vocabula. Sed quoniam aliunde et aliunde huiusmodi potest fieri venustas, idcirco in diversis annumeratur locis.

IV, 15 § 21 *rebus* i. e. sententiis; quia contentio est ornatus sententiarum, sicut et verborum, sed in hoc differt, quia ibi verba non sunt contraria, sed tota sententia, ut hoc modo: in prœliis lepores, domi leones estis. Hæc verba non sunt contraria, sed tota sententia — — — Confirmationi maxime convenit color iste et demonstrativo[1] generi.

IV, 15 § 21 *tacito.* Pro taceri, sicut dicto pro dici; significat autem futurum tempus, ut ait Priscianus.[2]

IV, 15 § 21 *in contione.* Significat locum et personas et orationem. Et scribitur per *c,* quia venit a conciendo, i. e. convocando. Nam numquam dicitur, nisi de multitudine congregata ad audiendum.

IV, 15 § 21 *ornati.* Quantum ad verba, quæ pulchrificant orationem. Et per hoc notatur eum valere ad gravem stilum. Igitur duplex est effectus, et gravis et ornatus. Addit hoc dicens præceptor meus, quod meminit se semper legisse in rebus Ciceronis rationes

---

[1] demonstrationi h. [2] Cf. Prisc. Inst. 18,175.

et argumenta, actiones et probationes per hunc colorem concludi. — —

IV, 15 § 21 *Exclamatio, Σχετλιασμός.*[1] Color iste plurimum valet in demonstrativo genere, licet in aliis, maxime tamen ad indignationem et commiserationem. Et sic patet, quod gravi figuræ est accomodatus. Et pertinet ad publicas prædicationes seu prædicatores, qui aliquando, ubi exclamandum est, submisse loquuntur et e contrario. Quidam faciebat hoc, quod, cum diceret benefactores ad paradisum advolare[2], vocem quam poterat maxime extollebat. Cum vero ostenderet peccatores ad inferos demitti, humanissime declamabat. Ex quo totus effectus confunditur. Sic definitur: Exclamatio est ad doloris vel indignationis significationem rei alicuius animatæ sive inanimatæ interpellatio. Significationem dico, quia commovet vel ad dolorem vel indignationem.

IV, 15 § 22 *si loco utemur.* In tempore, non autem frequenter, quia nimia et frequentior exclamatio perdit effectum, adeo quod animus hominis ad dolorem indignationemve fere numquam commovetur.

IV, 15 § 22 *et cum rei.* Quia iuxta magnitudinem debet tractari et congruo loco poni. Gravi enim stilo maxime convenit.

IV, 15 § 22 *Interrogatio non.* Miscet effectum cum definitione. Habet enim color suavitatem et ornamentum cum acrimonia. Et potest versari in genere iudiciali et demonstrativo. Et valet maxime in epilogo. In mediocri etiam figura plurimum valet. Et definitur sic: Interrogatio est ad superioris rationis confir-

---

[1] schliasmos h V. [2] advolari h.

mationem contra adversariorum rationem cum interrogatione prolatio.

IV, 15 § 22 *non omnis* — — Et notandum, quod ait non omnem interrogationem esse gravem, quoniam excludit interrogationes vulgares et poeticas — — Nam interrogatio rhetorica est collectio rationum supra dictarum, per quas aliquid contra adversarium concluditur.

IV, 16 § 23 *Ratiocinatio est.* Dicitur συλλογισμός.[1] Color enim iste difficilis est ad faciendum et trahit nomen ex ipsa re, quia est interrogatio et responsio. Ratiocinatio enim est rationis, quæ a nobis petitur, a nobis ipsis redditio; quando sc. de aliquo, quare ita sit, inquirimus et inde rationem nos ipsi subiungimus.

IV, 16 § 23 *per quam* &c. Et est accomodatus iste color demonstrativo et deliberativo generi causæ, sed præcipue demonstrativo et confirmativo. Et reprehensione potest uti, in mediocri figura maxime et in humili, sed non in alta. Sic definitur: Post crebram, cur unumquodque dixerimus, a nobis petitionem rationis subiectio ad uniuscuiusque explanationem.

IV, 16 § 24 *Hæc exornatio* — — — In confirmatione et epilogis et hic et superior maxime valent.

IV, 17 § 24 *Sententia est oratio.* Ex hoc nomine color sententiarum videtur esse, sed non est, quia vis coloris in verbis, non in sententiis consideratur. Quod ex definitione patet, quia sententia est oratio generalis summam alicuius moralitatis brevibus verbis comprehendens. Et sic sententia breviter et generaliter

---

[1] sillogismus.

est dicta oratio ad morum instructionem et significationem rerum pertinentem ad rationem vitæ institutæ. Alibi proverbium, alibi communis locus nuncupatur. — — — In deliberativo genere maxime valet, licet in aliis, ad amplificationem sine dubio. Mediocri figuræ bene convenit, quia moralitas ad mediocritatem pertinet.

IV, 17 § 24 *simplices.* Dat intelligere esse non simplices. Et ideo possumus talem divisionem facere: Sententia alia simplex, alia duplex; simplex, alia cum ratione, alia sine ratione. Similiter duplex, alia cum ratione, alia sine ratione. Hucusque vero posuit exempla de simplici sine ratione, modo ponet exemplum de simplici cum ratione; postea de duplici sine ratione et ad ultimum de duplici cum ratione.

IV, 18 § 25 *Contrarium.* Commendat colorem, qui dicitur contrarium. Color enim iste videtur idem quod contentio. Et ideo assignat differentiam inter illa. Et in hoc differunt, quod hic unum contrarium probat aliud, in contentione vero nullum probat aliud. In deliberativo genere valet, sed summopere in iudiciali, quia ostendit quid sit viri fortis vel probi. Valet plurimum in narratione et confirmatione et reprehensione. Mediocri figuræ maxime est accommodatus. Sic describitur: Contrarium est unius contrarii per aliud contrarium brevis et absoluta probatio. Vel sic: Contrarium est verborum et contrariorum verbis ac contrariis adaptatio.

IV, 19 § 26 *Membrum orationis.* Color iste a Græcis dicitur *κῶλον.*[1] Sic definitur: Membrum est alicuius clausulæ dependentis per aliam brevis et absouta exceptio. — — —

IV, 19 § 26 *Articulus dicitur* græce * * *[2] i. e.

[1] Colon. [2] *κόμμα* a *κόπτειν supplendum videtur.*

incido, quia est tamquam membrum parium. Nam illud superius plura complectitur per verba distincta per copulam, hic unum tantum membrum distinguitur sine copula. Iste enim color a Græcis dicitur κόμμα.[1] Et est κόμμα proprie intercisio. Sic definitur: Articulus est diversarum dictionum punctatim brevis et absoluta prolatio in eadem oratione. Quando sc. singula verba distincta et sine coniunctione sic proferuntur, ut singulis eorum sensus perfectæ orationis habeatur. Sic hic.

IV, 19 § 26 *Acrimonia, voce, vultu* &c. Ubique intelligitur 'perterruisti adversarium'. In gravi enim figura valet. In omni genere potest valere, sed maxime in iudiciali, quia valet ad causandum et ad acriter loquendum contra aliquem. In confirmatione et reprehensione potest poni et in narratione.

IV, 19 § 27 *Continuatio est.* Iste color admixtus est nec per se ponitur, sed in aliis tractatur. — — — Sic describitur: Continuatio est ad absolutionem sententiæ crebra et continua in oratione verborum frequentatio. — — —

IV, 20 § 27 *Compar appellatur.* Color iste a Græcis dicitur ῥυθμός.[2] In gravi figura non valet, quia est quasi quoddam* ludicrum et pueri huiusmodi paritatem syllabarum servare solent. In mediocri et attenuato ibi potest valere. In omni causa valet et in omni parte rhetoricæ orationis. Et sic definitur: Compar est quædam syllabarum paritas in oratione ex membris constante, non enumeratione facta, sed usu et artificio comparata. Vel: Compar dicitur clausularum per membra æqualia divisio seu distinctio.

---

[1] Coma. [2] Rithmus.

IV, 20 § 27 *de nostra enumeratione.*[1] Hoc præceptum si ad discentes[2] pertinet, malum est, si ad peritos, satis commodum existimari potest. Referre enim possumus. Per exercitationem orator poterit pronuntiare e qualitate syllabarum in pluribus membris.

IV, 20 § 28 *In hoc genere* — — — Quia sunt quædam litteræ, quæ pleniorem habent sonum quam aliæ, ut *m* plenius sonat in fine quam in principio, ut dicit Priscianus.[3]

IV, 20 § 28 *Similiter cadens* ὁμοιόπτωτον.[4] Cum in una oratione plures sunt casus eodem modo terminantes. — — — Hæc in attenuato et humili figura valet et in omni genere et parte rhetoricæ orationis. Sic definitur: Similiter cadens est in eadem oratione consimilium casuum interpretatio. Vel: Est oratio, in qua et identitas casuum et in eis aliqua terminorum consonantia reperitur.

IV, 20 § 28 *Similiter desinens* ὁμοιοτέλευτον.[5] Et fit in dictionibus non casualibus. — — Ubi valet alter color, et iste. Sed videntur idem, sed non sunt, quia in alio in casibus similitudo consideratur, hic in terminationibus; quod apparet ex definitione huius, quia: Similiter desinens est diversarum clausularum similis terminatio.

IV, 21 § 29 *Annominatio.*[6] Color iste in attenuato

---

[1] denumeratione nostra *textus rec.*

[2] adiscentes h; discentes V.

[3] Prisciani Inst. I, 7 § 38: *M* obscurum in extremitate dictionum sonat — — apertum in principio — —

[4] Omothepton.

[5] Omotelevton.

[3] Agnominatio.

et mediocri figura valet et in gravi non; quia facere huiusmodi commotiones quasi puerile est. Et est ibi quædam lepiditas, quæ vocatur *παρονομασία*. In omni genere potest valere. In narratione potest interseri, sed raro; in confirmatione et reprehensione valet. Sic describitur: Annominatio[1] est de vocabulo ad vocabulum levi quadam mutatione accessio. 'Levi' autem, quia fit commutatione unius litteræ vel litterarum syllabæ aut syllabarum. Vel alio modo: Annominatio[1] est de vocabulo ad vocabulum idem vel consimile per levem mutationem transitio. Vel: consimilium verborum ad res dissimiles accommodatio. Per verba similia intelligit etiam nomina; vel intellige nomen illam partem orationis, et per verbum quodlibet vocabulum. Nam nomen et verbum large pro quolibet vocabulo hic accipiuntur.

IV, 21 § 29 *commutatione*. Hic in omnibus libris corrupta est littera. Sed talis debet esse: Commutatione unius litteræ aut litterarum, syllabæ aut syllabarum. Quidam libri habent 'commutatione vel adiectione', sed pro nihilo est ibi, quia sub commutatione comprehendit omnes species commutationis. Tractat autem hoc modo de annominatione[2]: definit eam, postea dividit in species, de singulis exemplificat et unamquamque specierum exsequitur. Hæc autem sunt species, tres sc.: Commutatio litterarum, et consimilium verborum commutatio sive accommodatio ad diversa; et tertia est ex eis composita, quæ utramque participat. — — —

IV, 21 § 29 *hic iudices videte*. Quidam libri habent hoc exemplum: Malo esse laudator quam adu-

---

[1] Agnominatio. [2] Agnominatione.

lator. Et ex uno nomine fit aliud per transiectionem litterarum. Sed videtur esse ficticium exemplum.

IV, 22 § 30 *Quid veniam.* Hic fit, quando de multis partibus orationis multa vocabula habent idem principium, licet ad diversas res accomodantur. Magister Theodorus dicit, quod color est in hoc, quod verba sunt subiunctiva. Magister Petr. Hel. dicit esse in hoc, quod eadem littera repetitur, sc. *q.* Et hoc fecit Vergilius, cum dicit 'Pæne puella, puer'.[1] Sed videtur illud vitium incurrere: Tite Tacite &c.[2] Tamen differt, quia ibi nihil interponitur sicut hic, et etiam eadem littera nimis crebro et continue ponitur *t t t.*

IV, 22 § 32 *Hœc tria* Commendatio coloris. *proxima,* consimilia; vel 'proxima', proximo loco dicta, sc. similiter cadens, similiter desinens et annominatio, quæ raro sunt utenda. Ii enim colores seu ornatus in causis, quando sc. ad inquisitionem veritatis venitur, raro sunt inducendi, eo quod sine parva cogitatione reperiri posse non videntur, unde fidem oratori auferunt, cum plus in concinnitate verborum quam in iustitia confidere videatur. Sed in rhythmis et versibus huiusmodi ornatus considerari solent ac frequentari, eo quod sine opera summa reperiri posse non creduntur. Ac etiam videtur, quod fides inde oratori, gravitas orationi et veritas sententiis adempta sit, si frequenter inducantur.

IV, 23 § 32 *varie.* Ponendo hic unum, ibi aliud ponendo, sc. unum ornatum in principio, alium in medio, tertium in fine. Nec debet continuare eundem colorem, sed similiter cadens in principio, similiter desinens in medio, annominationem hanc[3] in fine, vel e converso, quod non continuetur idem color.

---

[1] Auson. Epigr. 107. [2] Cf. IV, 12 § 18. [3] hinc h.

IV, 23 § 33 *Subiectio est.* Subiectio ostenditur* ὑποφορά.[2] Et est subiectio inquisitio alicuius rei ab adversariis cum redditione rationis. — — Et sic differt a ratiocinatione, quod ibi ponimus rationem a nobismet ipsis, hic vero ab aliis. Vel potius: cum utraque sit in interrogatione, tamen in subiectione causa, quare aliquid fit, non quæritur, sicut in ratiocinatione. Subiectio enim est, cum interrogamus adversarium aut quærimus ipsi: iis enim duobus modis fit subiectio, vel interrogando alios vel quærendo nobiscum, quid possit dici de re aliqua nota.

IV, 23 § 33 *cum interrogamus.* — — — Nam iste color subiectio in gravi figura convenit, quia valet ad rem gravandam. In deliberativo genere et iudiciali rectissime ponitur, sed maxime in deliberativo. Ad indignationem plurimum valet. In confirmatione et reprehensione maxime valet ad accusandum et defendendum.

IV, 23 § 33 *Igitur quœro &c.* Hic enim color ad confirmationem valet maxime et in coniecturali constitutione, ut patet in exemplis. — — —

IV, 24 § 34 *acrimoniæ.* Ostendit utilitatem huius exornationis. Acrimonia dicitur virtus orationis, qua virtute acuit auditores ad indignationem. Et fit quam maxime* ad acriter loquendum vel invehendum contra aliquem aut ad commovendum ad indignationem.

IV, 24 § 34 *consequuntur identidem.* i. e. fiunt frequenter et similiter; eodem modo dicit Laur. Valla.

IV, 25 § 34 *Gradatio est* i. e κλῖμαξ, quæ significat scalas; et dicitur a gradu gradatio, quia sicut

---

[1] hypposora h.

ascendimus de gradu in gradum, sic de uno verbo gradatim accedimus ad aliud. Iste enim color sine dubio de ornatibus verborum est, quia gradatio est, cum id, in quo desinit oratio, repetitur, ut aliud addatur. Et in omni figura æque valet. In deliberativo genere valet multum. Potest tamen interseri iudiciali. In omne parte orationis potest valere præter narrationem. Videtur enim esse huiusmodi color contra illud præceptum narrationis, ubi dicitur supra in principio: Brevis erit narratio, si ab eo verbo, in quo desinimus seu desinitum est, non incipiemus. Quidam igitur dicunt, quod non debet fieri, nisi necesse fuerit. Sed nos plane dicimus, quod est contra illud præceptum, nec debet poni in narratione. Tamen dici potest, quod bene dictum est superius, quod brevitas non excludit ullum necessarium. Nec necessaria repetitio excludit brevitatem et e converso. Superfluitas videretur, si repeteretur finis sine causa. Sed hic non iudicatur superflua vel prolixa, quia est necessaria et ad ornatum pertinet. Sic definitur: Gradatio est, antequam ad aliud verbum transeamus, superioris verbi repetitio; illius sc. verbi, in quo desitum est. Et hoc est ascendere, repetere superius verbum.

IV, 25 § 34 *quam ad superius.* Similitudo tracta a puero gradus ascendente. Is enim propter imbecillitatem in omni gradu ambos pedes sistit, priusquam ascendat consequentem gradum; quod non faceret robustus.

IV, 25 § 35 *Definitio est* Græce ***, terminatio latine. Definitio est, quæ declarat unius⟨cuius⟩que rei essentiam per essentialia, quæ faciant [differre] definitum differre ab aliis rebus. Et habet genus et differentiam. Sed largo modo hic capitur et sic acci-

dentalia breviter ad necessaria trahuntur. — — — Definitio itaque est complexio propriarum potestatum, i. e. proprietatum qualitatumque brevis comprehensio, quæ brevitas non excludat perfectionem. — — — Color namque iste in omni figura, in omni genere causæ ad amplificationem plurimum valet. In definitiva constitutione maxime est accommodatus. Ideo potest dici sic: Definitio est proprietatum alicuius brevis et absoluta demonstratio.

IV, 25 § 35 *Item non est.* Ista datur per differentiam. Sicut docet Victorinus de quattuor generibus definitionum.

IV, 26 § 35 *Transitio vocatur Μετάθεσις*[1] — — — Patet quod iste color ac ornatus verborum plane est et in constitutione, quia transitus ostendit, quid dixit aliquis et quid dicturus sit. Et curialis et usitatissimus est color iste in omnibus auctoribus et in lectionibus magistrorum. Et valet in omni figura et in omni genere. Sic describitur: Transitio est eorum, quæ dicta sunt et quæ dicenda sunt, brevis demonstratio. Vel sic: Transitio est brevis ostensio eorum, quæ diximus, causa memoriæ, et quid dicturi sumus.

IV, 26 § 36 *Correctio est quæ.* Iste color, qui sine dubio est de ornatibus verborum et in constructione, quia vim habet ex constructione. Potest valere enim in omni figura, sed magis in gravi, et in omni genere causæ, plurimum tamen in iudiciali. In narratione potest poni et in confirmatione et reprehensione. Sic describitur: Correctio est pro eo, quod positum est, magis idonei verbi positio. Vel sic: Correctio est prioris vocabuli per posterius, quod est dignius, emen-

---

[1] methautesis et metaueso transeo.

datio. Et hoc est 'quod tollit' etc., non quod omnino tollatur, sed commutatur vocabulum, ut in eius locum aliud quid ei præponendum est et quasi corrigens subeat.

IV, 26 § 36 *quæ tollit,* i. e. emendat, quod prius dictum est, melius addendo, quod* non auferat de constructione illud vel non ostendat falsum esse. Et ad omnes orationis partes pertinet, prooemium sc. narrationem præter partitionem. Maxime in conquestione et indignatione fit.

IV, 27 § 37 *Occupatio*[1] *est Μετάνοια*[2] vel poenitentia dicitur latine, a Græcis vocatur *παρένθεσις*, unde: Occupatio est eius, quod maxime dicimus, quædam dicendi dissimulatio. Vel sic: Occupatio est, cum in transcursu aliquid dicitur, simulando tamen se non illud dicere. Sicuti cum dicimus nos aliquid præterire et nihil ad nos pertinere, declarando illud ad ipsum tamen latenter venimus, unde dicitur: Iste occupavit me, i. e. subito oppressit. Et color iste est de verborum ornatibus. In omni figura valet, sc. ad confirmationem et maxime ad reprehensionem in complexione. In gravi, in demonstrativo et iudiciali convenit genere, sed maxime in iudicio, quia valet ad accusandum quodammodo, sed latenter. In omni parte orationis potest valere et convenire præter partitionem. Insinuationi maxime convenit per dissimulationem.

IV, 27 § 37 *Disiunctio, alias disiunctum. Διάλυτον*[3] vel *διάζευγμα* fit, quando plures clausulæ diverso verbo clauduntur sine copula. Disiunctio enim est diversarum clausularum diversa verborum terminatio. — —

---

[1] Occultatio *editiones.* [2] Metania. [3] dialiton.

IV, 27, § 37 *aut unumquodque.* Ad plures. Virtus autem disiunctionis est, quod diversæ clausulæ diversis verbis terminantur. — — Et ad omnes partes pertinet. In demonstrativo genere valet et in gravi figura. In narratione potest valere et in confirmatione et reprehensione. Virtus enim disiunctionis est, quod diversæ clausulæ etc., ut supra. Et differt a pari, quia in eo paritas syllabarum consideratur, hic autem non. Et ideo quamvis duo ornatus vel plures incidant in idem, tamen iuxta proprietatem proprietatum diversarum, i. e. considerationem facile attenditur eorum diversitas.

IV, 27 § 37 *Nihil Numantinis.* Videtur hic repetitio primus color. Bene tamen duo colores incidunt in eandem orationem, ut hic repetitio et disiunctio incurrunt.

IV, 27 § 38 *Coniunctio est* duarum clausularum vel plurium talis complexio, quod istæ in medio verbum a communi possideant ****[1] græce vel *σύνζευγμα*[2] dicitur et superior *ζεῦγμα*[3] vocatur. — — — Ubique valet, quia ad brevitatem, et brevitas ubique. Est autem coniunctio ad comprehensionem[4] superiorum partium et inferiorum alicuius verbi interpositio.

IV, 27 § 38 *deflorescit.* Est verbum commune ad utrumque. In rhetorica Martiani invenitis ista græca nomina. Bene legite ibi.

IV, 27 § 38 *Adiunctio* dicitur græce *πρόζευγμα* ab anteriori vel posteriori. Et in hoc differt iste ornatus a coniunctione, quod hic quidem verbum habent commune et a communi duæ clausulæ; sed ponitur in

---

1 Syneptosis. 2 sinzeuma. 3 zeuma.
4 reprehensionem h.

principio vel in fine, non autem in medio, sicut coniunctio. Adiunctio autem est ad comprehensionem alicuius orationis aut in principio aut in fine verbi positio. — — —

IV, 27 § 38 *ad brevitatem* apposita est. *coniunctio.* Qui vult loqui breviter, utatur hoc colore, sub qua intelligitur et adiunctio, quia uno tantum verbo ambæ concluduntur, sed una a medio, altera a principio vel fine.

IV, 28 § 38 *Conduplicatio* dicitur *ἀναδίπλωσις* *** [1] .i e. duplico. Est autem conduplicatio causa amplificationis vel commiserationis unius aut plurium verborum iteratio, i. e. geminatio cum ratione, i. e. hac intentione facta, ut ad indignationem aut misericordiam ducat. Et color iste valet generi iudiciali, maxime convenit in confirmatione et reprehensione; etiam valet ad amplificationem aut commiserationem, et ubique convenit amplificatio. Differt a repetitione et conversione et complexione, quia ibi in diversis clausulis verbum repetitur et multa interponuntur, hic vero fit repetitio in eadem oratione et nihil interponitur. Nec videtur esse traductio, quia in traductione est crebra repetitio, hic vero non. — — —

IV, 28 § 38 *Interpretatio* dicitur ab interpretor, -taris. Est autem interpretatio pro eis, quæ posita sunt, aliorum verborum, quæ idem valeant, positio, i. e. alicuius verbi aut orationis per aliud verbum novius aut aliam orationem intelligibiliorem, quæ illi æquipolleat, expositio; quasi diceret: Interpretatio est expositio alicuius, quod dictum est, per verba aptiora et magis intelligibilia. In iudiciali genere valet; in

---

[1] *ab ἀναδιπλόω supplendum videtur.*

gravi figura potest poni. Amplificationi maxime convenit et ad commovendum contra aliquem ad indignationem. In confirmatione et reprehensione etiam potest valere. Differt a correctione, quia ibi emendatio est, hic nulla. Sed hæc expositio sæpe a Platone frequentatur. Iste color: 'rem publicam, civitatem, radicitus, funditus evertisti'; et singula verba invicem sibi et tota oratio toti æquivalet.

IV, 28 § 39 *Commutatio est.* Sic definitur: Commutatio est, ut ex duabus sententiis contrariis altera traiciatur, contraria priori per conversionem verborum transiectio, i. e. quando ita duæ orationes ponuntur diversæ, quod posterior sit conversio prioris. Notate: obscurus est iste color. In gravi figura valet. Maxime est accommodatus ad auxesim. In confirmatione et reprehensione est utilis. Videtur esse contrarium, sed non est, quia ibi unum contrarium probat aliud, hic vero non est ita. Contentioni videtur convenire, sed differt, quia, in contentione ponuntur [hic] verba contraria, hic vero non, sed ea quæ postea dicta sunt commutantur; ut vivere et esse non sunt contraria.

IV, 28 § 39 *discrepantes* — — — — Commutatio igitur est traiectio eorundem verborum in diversis sententiis.

IV, 28 § 39 *quia non.* Non est de sententia, et tamen una descendit ex alia. Licet difficilis sit doctrina huius coloris, tamen usitatissimus est in auctoribus. Terentius: Nolunt, ubi [tu] velis; ⟨ubi nolis⟩, cupiunt ultro.[1]

IV, 28 § 39 *Item: Poëma loquens.* Istud exemplum fictum est et appositivum; quia non intelligebant definitionem. — —

---

[1] Ter. Eun. 813.

IV, 29 § 39 *Permissio est* Ἀφαίρεσις[1] dicitur græce. — — — Sic definitur (prius enim definit et postea exempla ponit): Permissio est causa commiserationis alicuius totius rei vel nostri in potestatem alicuius concessiva traditio, i. e. quando nos et nostra alicuius potestati submittimus. Et licet hic nulla videatur oriri pulchritudo, tamen inter ornatus verborum constituitur; quia licet potius ornatus sententiarum reperiatur, tamen non rerum, sed verborum; quia sæpe contingit illam sui vel suarum[2] permissionem non in rebus, sed in solis verbis existere. Non valet in gravi figura, quia non convenit [magnæ] magnæ personæ ita se tradere in potestatem alicuius. In attenuato vel mediocri potest valere et in omni genere causæ. Valet in epilogis, ad captandam misericordiam maxime est accommodatus. Et in conclusione multum valet.

IV, 29 § 40 *Dubitatio est* cum quærimus, utrum de duobus potius vel ⟨quid⟩ de pluribus potissimum dicamus; inquisitiva dubitatio. — — Hæc in Tullii orationibus frequenter invenitur, hoc modo: unde incipiam, patres conscripti, quove me vertam? — — — Color iste est de ornatu verborum; quia non dubitat dicere. Dubitatio non est de re, sed in verbis; quia non dubitat, sed simulat se dubitare, ut melius commoveat, aliud dicens et aliud cogitans. In gravi figura valet et in iudicali genere causæ. Valet etiam ad accusandum vel defendendum, sed magis ad defendendum.

IV, 29 § 40 *omnium mortalium* pessime; an istud nequissime; vel sceleratissime. Potest iterum esse ἔκλειψις[3] secundum diversas causas. Si causa dubi-

---

[1] Aunheresis. [2] suorum *fortasse legendum*. [3] eclipsis.

tationis dicit, est dubitatio. Si aliquid deest, est ἔκλειψις. Itaque diversi colores in idem incidunt, sed propter diversas causas. Igitur infertur effectus huius coloris; sed potest esse talis, quod Sestius facit ad genus demonstrativum. Et est vehemens ad commovendam indignationem.

IV, 29 § 40 *Expeditio est* [cum] pluribus enumeratis per remotionem aliorum eius, quo[d] tendimus, prolatio. Et in hoc differt ab illo præcepto argumentationis, ubi plura similiter enumerantur et omnia removentur et infertur, quod intendimus. Iste color est in partitione. Sed in illa divisione tantum, in qua facta divisione sive enumeratione unum ab aliis expedimus negando illa, ut reliquum confirmet, hoc modo: Sol aut est albus aut niger aut medio colore coloratus. Sed non albus neque niger; ergo medio colore coloratus. Et sic expeditio est confirmatio alicuius enumeratorum ceteris omnibus infirmatis.

IV, 29 § 40 *cum rationibus* i. e. pluribus causis enumeratis. Quasi diceret: Expeditio fit per partium numerationem divisio, quarum reliquæ destruuntur, ut una concludatur, quam nos volumus. Enumeratio dicta est in priori rhetorica.[1] In coniecturali causa plurimum valet.

IV, 29 § 40 *aut vacuum* — — Quia vacuus dicitur ager, si omnibus possessoribus mortuis ad manus principis vel domini revertatur; tunc illum vacuum dicimus. — — — est apud Tullium de aliquibus populis: venerunt in vacua.[2]

IV, 30 § 41 *Dissolutio vel dissolutum* est diversarum clausularum sine aliquibus coniunctionibus se-

---

[1] Cic. de inv. I, 29 § 45. [2] Cic. de off. I, 7 § 21.

parata positio, i. e. diversarum orationum absque coniunctione punctata prolatio. Et licet videatur esse articulus, tamen non est, quia ibi non ponuntur nisi singulæ dictiones, hic vero plures. Nec est etiam membrum, quia in membro una clausula pendet ex alia, hic vero nulla pendet. Differt etiam a disiunctione, quia in illa singulis clausulis propria verba requirit, hic autem non est necessarium, quamvis aliquando contingat. In disiunctione enim unaquæque sententia terminatur diversis verbis, hic non, sed punctatim profertur. Et ad epilogos pertinet in indignatione. — — — Ad mediocritatem valet maxime et ad instruendum pueros. Et ideo in omni genere causæ valet. In narratione etiam potest valere, quia accommodatus est brevitati.

IV, 30 § 41 *Præcisio est.* Ἔκλειψις[1] vocatur proprie, quoniam aliquid deficit, quod subauditur. Et sic describitur: Præcisio est, cum pluribus dictis eius, quod maxime intendimus, in animis auditorum est relicta suspicio; quasi diceret, cum aliquid de incepta oratione relinquitur, ut maior notetur suspicio, quod intelligendum remanet in iudicio auditorum. — —

IV, 30 § 41 *suspicio atrocior, quam diserta explanatio.* — — — Valet in prooemiis maxime et in iudiciali genere causæ.

IV, 30 § 41 *Conclusio est &c.* Σύμπλασμα[2] ex iis, quæ dicta sunt, sc. ex maiore et minore est tamquam syllogismus, qui conficit et concludit. Et iste color in omni genere causæ potest valere et in omni figura, plurimum vero in gravi. Accommodatur iste color conclusioni, illi parti rhetoricæ orationis. Sic defini-

---

[1] Eclipsis. [2] Simplasma.

tur: Conclusio est eorum, quæ dicta sunt, ut ex iis aliquid inferatur, brevis et absoluta enumeratio. — — Et valet plurimum in confirmatione et reprehensione et epilogis.

IV, 31 § 42 *nominatio est prima* dicitur *ὀνομασία*. Agit de illis decem et primum de nominatione, quæ sic describitur: [De]nominatio est positio vocabuli vel vocabulorum nova ad similitudinem soni vel vocis [vel] data, i. e. posita ad expressionem alicuius rei, ut tinnire; quia nominatio est ad imitationem soni vel causa significationis, ut rem expressius possimus significare, novi verbi vel novæ iuncturæ verborum quædam confictio. Cum vero vocabulum primo repertum est, nominatio fuit dicta a Græcis *ὀνοματοποιία*,[1] quia numquam antea ad hunc sensum usitatum fuit. Et datum est ex sono, sicut taratantara, turtur. — — In omni autem genere seu figura potest nominatio valere, sed maxime in gravi; et in omni generc causæ, sed magis in demonstrativo, in confirmatione et reprehensione. Etiam valet [et] in aliis partibus rhetoricæ orationis præter in exordio. Et hoc propter novitatem verborum, quia quodammodo derogaret orator orationi suæ, si crebro verba nova poneret in exordio, et cum deberet captare benevolentiam, attentionem et docilitatem, fastidirentur auditores. Quia novitas cito parit satietatem.

IV, 31 § 42 *Hoc genere.* Commendat colorem et docet, quod raro debemus uti, ostendens quare: quia si frequenter, quod insueta et inusitata sunt vocabula, offenderet auditores. Verbi enim novitas, si frequenter, odiosam, si raram,[2] in loco, illustrem reddit

---

[1] Onomatopeya. [2] raro *fortasse legendum*.

⟨o⟩rationem. Velut Ovidius in libro metamorphoseon, in illo sicut est magnus [in principio libri sunt] non posuit nisi semel nominationem, sc. gemelliparæ.[1]

IV, 31 § 42 *odium pariat.* Docet enim Octavianus,[2] ut ait Suetonius, vitanda esse nova vocabula, sicut scopuli navigantibus. Quod contra faciunt Græci, in quibus nova vocabula sunt intelligibiliora.

IV, 31 § 42 *Pronominatio est.* Græce dicitur *ἀντονομασία*, hoc est nomen pro nomine. Ex re nomen habet. Sic describitur: Pronominatio est pro eo nomine, quod displicet, eius, quod placet (vel e converso), positio, i. e. vocabuli mutatio. — — — Pronominatio est, cum aliquod extraneum nomen pro alio nomine ponitur, sicut cognomen. Cognomen enim bene ponitur pro nomine. Ita nomen aliud pro nomine rei, quando res non habet idoneum nomen. Idoneum dicimus, quantum ad negotium oratoris. Si aliquis vult laudare personam habentem nomen inhonestum seu inhonestatis, mutat illud personæ conveniens, dum vult de illa agere. Similiter si vult vituperare et habet nomen honestum, mutat illud in inhonestum, ut vituperet. In omni figura, sed maxime in gravi, potest valere. Maxime est accommodatus demonstrativo generi, quia valet ad laudandum[3] vel vituperandum aliquem. In confirmatione et reprehensione potest valere et poni, sed plurimum convenit illi parti insinuationis, quæ dicitur commutatio; quia ponitur nomen pro nomine et inde habet nomen, sc. ⟨pro-⟩nominatio. Tamen differunt nominatio et pronominatio, eo quod nominatio est inventio novi verbi vel

---

[1] Ov. Met. VI, 315; Fasti V, 542. [2] Cf. Suet. Octav. 86.
[3] laudendum h.

noviter translati, pronominatio vero fit, cum nomen usitatum pro alio ponitur, vel ad laudem aut vitupe rationem alicuius. — —

IV, 31 § 42 *nomine non potest* i. e. non est aptum, non est idoneum, vel propter necessitatem aut propter turpitudinem aliquam. — — — Legitur etiam in fabulis, cum animalia omnia congregarentur et cuique nomen suum daret⟨ur⟩, noluisse se dicere mulum, sed equi nepotem; quod propria voluntate dictus sit.[1]

IV, 32 § 43 *Denominatio.* *Ἀντονομασία* græce seu *παρονομασία* dicitur. Definitur autem denominatio: quando sc. verbum ex aliqua ⟨af⟩finitate nominatur. Est autem denominatio alicuius rei per aliquod vocabulum ex affinitate aliqua tractum nominatio; quasi diceret: Denominatio est traductio vocabuli a propria significatione ad aliud significandum propter unam istarum affinitatum. — — — Iste color in omni figura valet et in omni genere causæ. — —.

IV, 32 § 43 *Harum autem divisio.*[2] Quasi diceret, difficilius est de iis rebus determinare, i. e. doctrinam dare quam illas in dicendo reperire, cum sint inventu faciles. Nulla est hic translatio, quia similitudo nulla est, sed affinitas. Quæ enim similitudo esset inventoris et inventi?

IV, 32 § 43 *sed etiam quotidiani &c.* Quotidianus sermo est plenus denominationibus, non tantum dictamina oratorum aut poetarum; quia in quotidiano sermone fiunt huiusmodi denominationes. Nec videtur sibi contrarius esse, cum supra dixerit has decem

---

[1] Cf. Babr. fab. 62.

[2] Harum omnium denominationum — — divisio *codd.* bl.

exornationes paululum recedere a consuetudine loquendi, licet modo dicat, quod fiunt in quotidiano sermone, quoniam non dicit, quod verba, quæ faciunt denominationes, sint usitata, sed quod hæc denominationes frequentissime fiunt.

IV, 32 § 43 *Circuitio est oratio Περίφρασις* dicitur græce, i. e. circuitio quædam vel circumlocutio. Describitur sic: Circuitio est alicuius simplicis rei per quandam circumlocutionem elocutio, i. e. quando plura verba ad aliquid significandum, quod per unum solum significari potest, causa ornatus ponuntur; ut 'sapiens', 'prudens'... nam plura verba ponuntur pro uno causa ornatus. Valet in omni figura, sed præcipue in gravi. Ad amplificandum plurimum valet et in omni genere causæ potest valere.

IV, 32 § 43 *circumscribens elocutione* i. e. definiens per plura membra seu verba ornata. In qua re interrogatus Zeno respondit differre hanc artem a dialectica, quod illa esset ut pugnus, hæc vero ut manus extensa.[1]

IV, 32 § 44 *Transgressio est* ordinis quædam sine obscuritate perturbatio seu verborum permutatio. Fit autem duobus modis, perversione vel transiectione, ut patet in littera. Transgressio enim seu translatio est verborum a recto ordine transmutatio. Ideo dicitur quandoque *ὕστερον πρότερον* græce, ut: moriamur et in media arma ruamus[2]; quandoque dicitur *ὑπέρβατον*, ut: astra ferit sonus a⟨r⟩morum clangorque tubarum.[3]

---

[1] Vide supra, p. 10. [2] Verg. Ae. II, 353; cf. Serv. ad h. l. [3] Versus contaminatus? Cf. Verg. Ae. II, 313; 488; XI, 192; 832.

IV, 32 § 44 *Instabilis in istum &c.* — — Color enim iste in omni figura et in omni genere causæ potest valere, sed brevitati maxime est inimicus. Conclusioni vero est accommodatus et in continuationibus plurimum valet.

IV, 32 § 44 *perturbat ordinem* contra rationem grammaticam, quæ iubet, ut nominativus anteponatur, verbum in medio et reliqua postponantur. Fit autem transgressio aut in uno verbo tantum, ponendo præpositionem post, ut 'maria circum' et 'quam ob rem', aut in tota constructione, ut 'tuam rogabimus humanitatem'.

IV, 32 § 44 *in quibus* Dat quoddam generale præceptum faciendi congruam transiectionem. Et est transiectio, quando unum verbum trahitur usque ad finem, quod construitur cum eo, quod est in principio, ita quod multa interponuntur.

IV, 33 § 44 *Superlatio* Ὑπερβολή dicitur a Græcis. Super veritatem plus dicit quam verum, sed non plus dicit quam veritas sit. Et etiam in evangeliis[1] sunt hyperbolæ. Sed in hyperbole plus sonant verba quam ⟨veritas⟩ sit, i. e. verba sonant super veritatem, quia videntur sonare plus quam verum sit, ut: 'rorantia vidimus astra'[2]. Quotidie ita loquimur. 'Fac hoc, dabo tibi, quod vis'. Verba sonant veritatem et tamen est sensus: 'multa dabo, si facias'. Sic describitur: Superlatio est causa augendi vel minuendi veritatis exsuperatio, i. e. superlatio est oratio per quantitatem, cum augmentamus vel minuimus, quod excedere veritatem verba videantur.

---

[1] Euuangeliis. [2] Verg. Ae. III, 567; cf. Serv. ad h. l.

IV, 33 § 44 *Hæc sumitur separatim* Hyperbole aliquando fit per se, ita quod nil alii comparatur, aliquando per comparationem, quod aliquid alii comparatur. Color autem iste valet in omni figura, sed magis in gravi. In omni genere causæ æque valet. Plurimum ad[1] amplificandum valet.

IV, 33 § 44 *atque occasu metiemur* Hoc falsum est, quia, ut inquit Tullius (de somn⟨i⟩o Scipionis libro)[2], cum quidam Romani supra Caucaṣum montem astitissent, et interrogati, qui essent, respondisse se esse Romanos, valde mirati sunt Romanum vitium.

IV, 33 § 44 *Corpore* Corpus eius album erat, sicut nix est, hic est sensus, vel candor eius similis erat candori nivis, aspectus ardori ignis. Huiusmodi est in evangelio: 'Erat aspectus eius sicut fulgur, vestimenta eius sicut nix'.[3]

IV, 33 § 44 *Intellectio seu intellectus* dicitur græce *συνεκδοχή*[4]. Describitur sic: Intellectio est per aliquod verbum ex parte alicuius totius vel e converso cognitio, i. e. intellectio est oratio, qua per totam rem illius partem aut per partem ⟨totam rem⟩ intelligimus, aut plura per unum aut per unum plura. Et color iste in auctoribis dicitur *συνεκδοχή*[4], quando in parte totum vel in toto partem, aut in plurali singulare aut econtra intelligitur. Et æque valet iste color in gravi et in omni genere causæ potest valere et in omni parte orationis præterquam in exordio, quia ibi raro debent colores adhiberi.

---

[1] Ad plurimum h. [2] in somno Scipionis V. — Cf. Macrob. comm. in somn. Scip. II, 10 § 3: — — transcendere Caucasum Romani nominis fama non valuit. [3] Evang. s. Matth. (vers. vulg.) 28, 3. [4] Sinodoche.

IV, 33 § 44 *parva de parte* Ponendo partem pro toto, sicut caput lepidum. Et hoc facit differentiam ad denominationem, secundum magistrum Theodorum, quia in denominatione ex maxima parte intelligitur, hic ex parva.

IV, 33 § 45 *Abusio est* Græce dicitur κατάχρησις[1]*** idem est quod abutor. Color enim iste indifferenter potest poni. Et sic describitur: Abusio est alicuius verbi ex aliqua similitudine pro certo et proprio abusiva positio; quasi diceret, abusio est propter aliquam similitudinem de aliqua re ad aliam quando transfertur vocabulum, sc. abusive, i. e. contra usum. — — Vel aliter: Abusio est, cum loquimur contra consuetum et maximum usum vocabulorum, unde per excellentiam abusio dicitur. Nam in nominatione non loquimur contra maxime consuetum usum, quamvis contra usum; quia maxime et magis inusitatum est 'prava statura' pro 'parva' quam 'fragor civitatis'[2] pro 'commotio'.

IV, 34 § 45 *Translatio* — — græce dicitur. Iste color in omni figura potest valere, sed magis in gravi; vel demonstrativo generi causæ et deliberativo potest convenire. In confirmatione et reprehensione et in aliis partibus orationis potest poni. Fit autem color iste pluribus modis. Et secundum illos modos convenit diversis locis. Est autem translatio alicuius verb ex propria significatione ad aliam translativa positio ex similitudine aliqua, sc. cum transfertur vocabulum a propria significatione ad aliam propter manifestam

---

[1] cathacrisis. Cathacrisis idem est - -; καταχράομαι idem est *legendum videtur.*

[2] IV, 31 § 42.

rerum similitudinem iuxta morem loquentium; ut puta dicimus 'iniustam causam in me' et 'aquas somno sopitas' et 'nix albet'. — — —

IV, 34 § 45 *cupide* Sunt enim quidam cupidi faciendi translationes et transcurrunt, i. e. excedunt legem translationis transferendo in rem dissimilem. Et differt a nominatione, in qua est aut nova vocabuli inventio aut nova positio vocabuli iam reperti et more insolito, hic autem non, sed more solito. — —

IV, 34 § 46 *Permutatio* latine dicit[it]ur, *ἀντιλογία* vel *ἀλληγορία* græce, per similitudinem tamquam metaphoram. Sicut hæc se male habet res, quando pastor comedit ovium carnes. Permutatio est, cum aliud videantur verba sonare, alterius sententiæ brevis et absoluta demonstratio, i. e. cum per aliquas dictiones suas res significamus et tunc per alias illas perpendimus. — — — quasi diceret, permutatio est, quando verbis significamus res, quibus res alias [res] significamus. Sicut in parabolis: Exiit qui seminat seminare semen suum[1]. Verba hic significant res proprie suas, sed per illas alias significamus: per semen, verbum Dei, per seminatorem, prædicatorem. Igitur permutatio est, cum per res significatas aliquibus vocabulis aliæ res intelliguntur. Et dicitur *ἀλληγορία* græce. Et differt a translatione, quia ibi traducitur vocabulum de propria significatione ad aliam rem significandam, hic vero remanet in sua propria significatione, i. e. in significatione rerum, ad quas significandas sunt inventa, et ex eis aliud intelligitur. Hæc exornatio potest valere, ubi et translatio et ad amplificandum plurimum.

[1] Evang. s. Lucam (vers. vulg.) 8, 5.

IV, 34 § 46 *illudens parcum* Ut si quis aliquem gigantem deridendo nanum appellet; ironica est seu *ἀντιλογία*[1] quæ dicitur græce allegoria. Hic advertendum: omnis allegoria per contrarium ironia est; sed non convertitur, quia multæ ironiæ in auctoribus [in auctoribus], quæ non sunt allegoria, quia ironia aliquando per negationem fit et non ad personam. — —

IV, 34 § 46 *transeamus* ad exornationes sententiarum. Advertendum: Exornatio sententiarum est pulchritudo orationis ex ipsis rebus veniens, non ex verbis. Et ex rebus dupliciter, vel quia res sunt honestæ vel ex pulchra earum ordinatione. Quia dictum est bene superius, quod ornatus verborum est pulchritudo orationis veniens ex pulchra constructione et ordinatione verborum ipsorum. Ornatus vero sententiarum est pulchritudo orationis veniens ex pulchra ordinatione rerum, quia tali modo possunt ordinari res in oratione, quod pulchra est oratio — tali modo econtra, quod videtur turpis oratio. Quare prima est distributio, cum distribuimus, i. e. distinguimus et dividimus suam proprietatem unicuique rei et officium. Hic bene apparet, quod ornatus non surgit ex ipsis rebus aut ex constructione verborum, sed ex distributione rerum. — —

IV, 35 § 47 *Distributio* Hucusque egit de ornatu verborum, amodo vero de ornatu sententiarum tractatus contexetur. Sed quid sit utrumque, superius dictum est. Illud tamen tantum meminisse volumus, quod ornatus verborum ad verba referuntur, ornatus sententiarum ad sententiam tantum. Et hæc quædam generalis differentia inter ista. — — — Potest tamen

---

[1] antitonis.

in idem incidere et rerum et verborum ordinatio. Dicit itaque: Distributio est alicuius negotii multis rebus vel multis personis attributio, i. e. assignatio negotiorum aut officiorum ad aliquas res aut personas. — — Est autem sententiarum, non verborum ornatus, propterea quod hanc pulchritudinem non efficit verborum constructio, sed distinctio rerum. Iste autem color distributio est primus color sententiarum, qui *διανομή*[1] græce dicitur. In gravi figura potest valere et in iudiciali genere. In remota constructione poni potest. In confirmatione et reprehensione potest interseri et in aliis etiam partibus, maxime vero in conclusione.

IV, 36 § 48 *Licentia est παῤῥησία*, quasi quædam auctoritas reprehendendi. Describitur sic: Licentia est illorum, quos veremur vel metuimus, sine iusta offensione quædam reprehensio, i. e. licentia est securitas causa corrigendi vel simulatio securitatis causa adulandi vel blandiendi; quasi diceret, licentia est reprehensio licita vel corrigendi securitas, non ex odio aut irrisione, sed ex amore veniens; vel etiam licentia est sub specie securitatis veræ latens adulatio. Et patet, quod ornatus iste rerum est, non verborum, quia non ex constructione pulchra nec ex ordinatione verborum pendet hic ornatus. Sed venit ex ipsis rebus, quod ita licite vel simulate dicuntur ad blandiendum. Hæc autem exornatio in omni figura æque valet, in demonstrativa plurimum et in deliberativa. In confirmatione et reprehensione similiter valet. Primum genus licentiæ hic describit, postea secundum describet et exempla utrique supponit.

[1] dyanomi.

Pulchritudo igitur orationis non ex verbis est, sed ex rebus veniens licenter dictis.

IV, 37 § 49 *cum aut ita obiurgamus* Dicendo: nimis est⟨is⟩ nequam, nimis estis crudelis et impius atque severus, aliquantulum debetis vos temperare. Hic simulat se corripere illum, cum tamen maxime blandiatur ei et assentiat, quia placet ei, quod dixit. Et itaque ostendit hic, quomodo debeat fieri secunda species licentiæ, quæ sic describitur: Licentia est eorum, quæ ipsi volunt audire, contra aliquos obiurgatio. Aliter vero ita: Eorum, quæ scimus facile audituros, qualiter ipsi accipiant, quædam timoris significatio. Et de utraque ponit exempla.

IV, 38 § 50 *Deminutio* * * * alias *λιτότης*[1] dicitur græce iste color, quando aliquis humiliat se in eo, quod habet, ne videatur sui ostentator, ut illud: si quid est in me ingenii etc. Sic describitur: Deminutio est eius, quod scimus in nobis esse [esse] egregium, ad vitandam arrogantiam quædam attenuatio. Iste autem color est ornatus sententiarum, cum minus dicitur, plus significatur. Et ista figura usitata est in naturali loquela, ut cum dicimus et quærimus: Domine, scitis vos de hac re; et respondeat: Unum parum scio. Et est tunc sensus: Multum scio inde. Nec fit ex verborum continuatione iste color, sed ex dispositione sententiarum. Fit autem in aliquarum rerum augmentatione aut naturalium aut casualium aut earum, quæ per amplificationem aliquam alicui rei contigerunt. Sed ne videatur arrogantia, si minime[2] dicatur, ideo plus et

---

[1] Diminutio Arptotes alias liptote h.

[2] nimium *fortasse est legendum.*

minus minuitur. Ornatus autem iste in omni causa potest valere, sed præcipue in deliberativa. In gravi figura non valet, sed in mediocri et attenuata. In confirmatione et reprehensione valet. Ex his patet, quod est ornatus rerum et non verborum, qui rem deminuit, quæ deminutio adornat orationem.

IV, 38 § 50 *Nam [et] huiusmodi res* magnæ et maximæ, i. e. tales ostensiones sicut quotidiana in vita fastidium pariunt, ita et in dicendo odiosos reddunt, si temerarie tractantur; unde hoc etiam debemus observare, ideo quia, sicut si aliquis modo se ostenderet arrogantem in vita, esset infestus, sic et in dicendo, si quis de se præsumptuose vel de alio diceret.

IV, 39 § 51 *Descriptio nominatur* * * * Fit autem, quando ante oculos ponimus, quæ futura sint, si quidquam deliberamus. Sic describitur: Descriptio est rerum consequentium aliquid gravis quædam et dilucida expositio, i. e. rei expressa ostensio, aut per similitudinem aut sine ea; quasi diceret, descriptio est, quando expresse describitur, i. e. ostenditur eventus cuiusque rei, aut per simile aut alio modo, i. e. quid consequatur ex unaquaque re aut soleat evenire. Igitur descriptio dicitur expressa descriptio et ostensio eventus rei per simile aut aliis modis. Rerum ornatus est descriptio, non verborum, quia pulchra est oratio ex rerum eventu, quæ sic expresse et aperte in ipsa oratione describitur. Patet quod in gravi figura plurimum valet et in omni causa, sed præcipue in iudiciali, in confirmatione et reprehensione. Ad commovendum ad misericordiam vel indignationem maxime est accommodatus, ut ipse Tullius postea dicet, sc.

si aliquid factum fuerit, quid ex eo consecuturum sit, ostendimus.

IV, 39 § 51 *sicut leo ferocissimus* habent quidam libri, quia leones sunt ferociores aliis.

Vel *emissus*, quod melius.

IV, 39 § 51 *Nemo, iudices* Hoc non est de colore, sed additur ad perfectionem sententiæ.

IV, 40 § 53 *Divisio est quæ* Græce dicitur *διαίρεσις*[1] vel * * *[2] Et fit cum facimus[3] propositionem duarum rerum et statim subici[a]mus rationem utriusque, ut Vergilius de Creusa: Si spem ponis in armis etc.[4] Sic describitur: Divisio est aliqua re ab aliis seiuncta utriusque brevis et absoluta subiectio, i. e. divisio est distinctio alicuius rei ab aliqua re aut per complexionem aut per enumerationem; quasi diceret, divisio est duarum rerum aut plurium in causa disiunctio, ut inde aliquid * * aut per complexionem, sic: aut probus est aut improbus. Si probus est, cur accusas? quia non est accusandus nec meruit accusari. Si improbus, cur uteris? nec est accusandus, quia inde non movetur.[5] Et dicitur ab antiquis syllogismus cornutus; et vocatur hic divisio, complexio vel enumeratio, in qua unicuique parti datur sua ratio. Quid autem sit rhetorica complexio, habetis. Differt autem a partitione, quæ est una pars rhetoricæ eo, quod ibi expo-

[1] dyeresis h. [2] dyadena h. [3] scimus h. [4] Ae. II, 675—677; cf. supra p. 21. [5] Cf. Cic. de inv. I, 29 § 45: Complexio est, in qua, utrum concesseris, reprehenditur, ad hunc modum: 'Si improbus est, cur uteris? si probus, cur accusas?'.

nuntur res, quæ probandæ sunt: nec est complexio, licet esse videatur: sed non est, quia complexio non dicitur, nisi illa prima divisio color, tam ipsa seiunctio rerum quam subiectio rationum. Ad partitionem ipse dabit differentiam. Iste autem color raro cadit sub figuris vel sub aliquo genere causæ. Maxime tractatur in partibus rhetoricæ orationis et valet in confirmatione et reprehensione.

IV, 40 § 52 *Frequentatio* *Συνάθροισις* a *συναθροίζω*,[1] i. e. congrego, quia per hunc colorem colligimus omnia in unum aspectum, quæ diffuse per particulas disputata sunt, ut, cum omnia simul videant, magis commoveantur. Primo describit frequentationem, postea dividit ponendo exempla. Frequentatio est argumentorum multorum in causa dispersorum causa a⟨u⟩gendi in unum locum frequens coadunatio; i. e. plurimorum argumentorum coadunatio, quæ per se et separatim considerata ad probandum propositum minime sufficiunt, simul autem iuncta firma sunt atque necessaria, ut in hoc exemplo apparet. — — Frequentatio est, quando similes res vel multa coadunantur, ut ratio maioris ponderis sit, i. e. ut magis persuadeat vel ut auditores commoveat ad indignandum. Et hoc dicit divisio quam ponit. Et notandum quod frequentatio dicitur et ornatus in oratione et ipsa oratio. Et licet videatur esse epilogus, tamen differt in hoc, quia in epilogo firmiora tantum argumenta colligimus, hic vero firma et infirma omnia in unum coadunamus, hic ad augendum, in epilogo ad memorandum. Color iste in omni figura æque valet, in iudiciali plurimum, quia valet ad accusandum. Convenit etiam demonstrativo generi, valet enim ad laudandum vel vitupe-

---

[1] Synatrisis a synatrisio h.

randum. In confirmatione et reprehensione potest poni. Sed maxime est accommodatus coniecturali causæ, quia coniecturæ per se unaquæque [per se] valet parum, sed congregatæ et insimul coniunctæ maximam habent firmitudinem, ut postea est dicturus.

IV, 40 § 53 *illa frequentatio* quæ dicta est, potest convenire in genere iudiciali, constitutione legitima, et in aliis generibus. Hæc quæ nunc sequitur, pertinet ad iudiciale, coniecturale, in quo semper necessaria est.

IV, 42 § 54 *Expolitio est* Sic describitur: Expolitio est, cum aliud dicere videamur, ad idem sæpissuma accessio, i. e. expolitio est, cum eadem res diversis modis loquendo profertur vel diversis rationibus probatur. Et hoc est expolire proprie, idem diversis verbis dicere vel diversis rationibus idem probare; ac si diceret: expolitio est aut cum idem diversis verbis bis vel ter aut amplius dicitur, (vel: cum idem pluribus modis aut rationibus comprobatur, in eodem loco manemus), aut cum sententiam retinendo verba variamus aut cum idem propositum diversis rationibus aliter et aliter confirmamus. Et hæc sunt expolitionis genera seu species duæ eius. — — — Et sic color est rerum expolitio. Et in demonstrativo genere causæ potest valere, quia quodammodo valet ad laudandum, quando sc. ita replicamus eandem sententiam per diversa verba. In confirmatione et reprehensione potest poni.

IV, 42 § 54 *sed commutare*[1] Variare debemus subiciendo rationes, quæ licet ad eandem rem pertineant,

---

[1] Commutate *codd. optimi.*

tamen non est eadem propositio nec ratio subiecta. Unde Ulixes laudatus fuit ab Ovidio in hoc colore expolitione ('sæpe aliter atque aliter'). Quando Ulixes intravit domum Calypsonis[1], illa eum interrogavit de destructione Troiæ, et multotiens eum interrogavit, Ulixes vero non uno modo respondit, sed diversis verbis idem retulit. Unde Ovidius: 'sæpe aliter atque aliter' ***[2]. Similiter nos debemus facere: si interrogati simus ab aliquo et frequenter interrogati fuerimus de illo, diversis verbis utendum est in expolitione.

IV, 45 § 58 *Commoratio est* * * * *[3] græce dicitur maneo. Sic definitur: Commoratio est ad aliquid, quod est firmissimum in nostra causa, sæpissima regressio. Ac si dicat, commoratio est mansio oratoris circa aliquid, in quo[4] tota vis probationis est in causa, ut[5] circa id aures habeant auditores et animum occupent[6]. Fit enim commoratio, quando circa locum, cui totius causæ nostræ vis præcipue innititur, commoratur et ad id sæpe revertimur, ut melius in memoria retineatur. Et ad id reverti possumus, licet idem non dicamus, diversa verba diversasque proferendo sententias, ut sit expolitio. Nam commoratio ideo dicitur, cum moramur circa id, in quo est vis totius causæ, et frequenter ex eo pendet virtus totius causæ. Hoc facit cautus orator. Et sic mora illa, quam facit orator circa illud idem, vocatur commoratio. Hoc invenitur in orationibus Ciceronis, pro rege Deiotaro, in qua commoratur circa mansuetudi-

---

[1] Calistonis h. [2] Ovid. Ars amat. II, 127—28: Hæc Troiæ casus iterumque iterumque rogabat: Ille referre aliter sæpe solebat idem. [3] Sinonia. Sinono h; *'Επιμονή. 'Επιμένω fortasse legendum.* [4] qua h. [5] et h. [6] occu*pant* h.

nem Cæsaris, qui multum diligebat laudem. Et in omnibus orationibus reconciliandisque personis prævalet color iste. Ac frequenter ad mansuetudinem reducit, quia inde emanebat vis persuasionis, dicendo: 'O Cæsar, Cæsar, qui nihil oblivisceris nisi iniurias tibi illatas'.[1] Quod humani hominis est hoc, iniurias oblivisci. Ornatus est rerum, non verborum, quia vis illa totius causæ res est; et in eo, quod tam ornate dicitur et persuadere creditur, est pulchra oratio et dicitur ornatus sententiarum. Et differt ab expolitione, quia ibi non idem eisdem verbis repetitur, hic certe eisdem verbis aliquando idem repetitur. Item ibi ad firmissimum non revertitur, sed eandem rem diversis modis aut de eadem re diversis modis dicimus.

IV, 45 § 58 *Non ⟨enim⟩ datur potestas auditori*, i. e. auditor non potest se dimovere a firmissimo argumento; itaque proprium est oratoris in eo commorari. Aiunt quippe Cæsarem, cum Cicero oraturus pro Ligario venisset, dixisse quoquo pacto se occisurum Ligarium. Sed cum Cicero diu in clementia Cæsaris staret, non potuisse Cæsarem in suo proposito permanere.[2]

IV, 45 § 58 *Contentio*[3] *Ἀντίθεσις* est color sententiarum. Unde contentio est contrariarum sententiarum assignatio, i. e. contrariorum contrariis assignatio. Iste enim color valet in gravi figura et in omni genere causæ, in confirmatione et reprehensione. Et multum valet in exornationibus, sicut habuimus in exornatione postremo; et vocatur contrarium, sed aliter et aliter, quia contrarium in coloribus verborum, ubi contraria

---

[1] Cic. pro Ligario 12 § 35: oblivisci nihil soles nisi iniurias. [2] Cf. Plutarch., Cic. 39. [3] Cf. IV, 15 § 21; 18 § 25; 34 § 46.

verba contrariis verbis assignantur; hic contrarium autem, contrariæ res contrariis rebus assignantur. Utrumque ergo contentio est, sed illa erat in comparatione contrariorum verborum, hæc vero ex comparatione contrariarum rerum, ut patet in exemplis. Ibi [vos huius] primum enim ponit exemplum de contentione, quæ est in coloribus verborum, deinde de ea, quæ est in coloribus sententiarum, ut bene pateat inter ea differentia.

IV, 45 § 58 *Inimicis te placabilem* Istud idem exemplum posuit superius.[1] Hic contraria verba contrariis possunt referri: inimicis et amicis; placabilem et inexorabilem.

IV, 45 § 59 *Similitudo παραβολή*[2] aut omnino *ὁμοιότης*.* Fit autem, quando trahimus aliquam similitudinem ex rebus dissimilibus; puta traducere similitudinem fortitudinis aut magnanimitatis ex Cæsare, leone, cum alter sit homo et alter bellua. Sic describitur: Similitudo est traductio alicuius proprietatis ab alia ad aliquam rem per quandam similitudinem. Quasi diceret, similitudo est rerum diversarum inter se assimilatio, non iuxta compositionem corporalem, ne sit imago, et absque persona certa, ne fiat exemplum. Oratio quoque, qua illud proponitur in rebus, similitudo vocatur. Translatio autem ornatus differt ab hoc similitudinis ornatu, quia translatio consideratur in hoc, quod unum verbum transfertur ex propria significatione ad aliam. Similitudo vero est in tota sententia, per quam ostenditur aliqua similitudo inter aliqua.

[1] IV, 15 § 21. [2] parauoli h.

IV, 45 § 59 *dispari* In hoc est diversa sententia. Similitudo itaque nascitur ex rebus et ornatus rerum est [magnificum est], quia similatio ex rebus est et inde pulchra oratio. Et ut patet, describit hic orationem, in qua est ornatus iste pro ornatu. Et similitudo dicitur tam oratio quam ornatus. Tres sunt enim orationes: *παραβολή*, i. e. similatio, in qua multa multis comparantur; *εἰκών*, i. e. imago, in qua assimilatur forma vel natura unius rei formæ vel naturæ alterius; exemplum, de uno simili ad aliud. Similitudo in gravi figura plurimum valet. In demonstrativo etiam genere potest valere, quia valent ad laudandum vel vituperandum aliquem huiusmodi similitudines. In confirmatione et reprehensione etiam poni potest. In narratione valet, quando tractatur per brevitatem.

IV, 45 § 59 *aliquid simile ad rem quampiam ex re dispari.*[1] In hoc est diversa sententia. Quia duæ res debent esse diversæ et duo eis convenire, quæ comparantur inter se. Et inde res dispares habent similiorem convenientiam et dicuntur similes. Et hæc est parabola, ubi multa multis comparantur, ut 'civitas habet rectorem, sicut navis gubernatorem'. Istæ duæ res diversæ, civitas et navis, in rectore et gubernatore comparantur. Similitudo ergo est oratio ostendens aliquid simile inter res dispares, dispares dico, non contrarias, sed quoquo modo diversas.

IV, 49 § 62 *Exemplum est Παράδειγμα* cum certi auctoris nomine. Post enim similitudinem agit de exemplo, deinde dicet de imagine. Ita tres colores ponit secundum tres species similitudinis. — — — Exemplum est, cum ex certa persona vel ex facto vel

[1] *Alio ordine in codd. hæc verba leguntur.*

ex dicto ponimus aliquid ad exhortandum vel dehortandum aliquid. — — Et semper oportet hic esse in exemplo factum et personam vel dictum et personam. Paradigma a Græcis **. Vel sic: Exemplum est positio alicuius dicti vel facti alicuius cum nomine certo auctoris. — — Id sumitur his de causis: causa ornatus, causa probandi, causa apertius dicendi, causa ponendi ante oculos.

IV, 49 § 62 *ornatiorem* &c. Color iste ubique valet et in omni figura et in omni genere, in confirmatione et reprehensione.

IV, 49 § 62 *Imago* — — Imago est formæ corporeæ cum forma vel naturæ cum natura rei alicuius per quandam similitudinem collatio, i. e. imago est rerum diversarum iuxta corporalem compositionem assimilatio, sive res sit corporea sive incorporea. Ut Vergilius: 'Poenorum qualis in arvis'.[1] Nam proprie imago est assimilatio formæ vel naturæ unius rei formæ vel naturæ alterius rei, formæ, ut 'os humerosque deo similis' &c.[2] Huiusmodi similitudines frequenter in auctoribus reperiuntur, quas comparationes appellamus. Similis autem iste color exemplo et similitudini, nisi quod illa habent comparationem in omnibus rebus, hæc autem est tantum in persona corporis. Et in omni figura potest valere, in demonstrativo genere maxime, in confirmatione et reprehensione.

IV, 49 § 62 *delirat* i. e. stulta loquitur; lira tamen, sicut dicit Isidorus in etymologiis suis,[3] dicitur [ut supra] rectus sulcus aratri. Delirat autem qui

---

[1] Ae. XII, 4. [2] similes h; Verg. Ae. I, 589. [3] Cf. *Isid. Etym.* X, 78.

errat et deviat in recto sulco. Similiter deviantes in verbis et stulta loquentes dicuntur delirare.

IV, 49 § 63 *Effictio*[1] est formæ corporis alicuius per accidentia extrinseca, ut res possit intelligi, quædam descriptio. Quasi diceret, effictio[1] est expressa expositio vel descriptio formæ alicuius. Et dicitur ab effingo, -gis. Effingere est accidentibus exterioribus aliquem describere et effingere. Hoc bene facit Terentius dicendo cæsiam illam tali facie et tali **; hic per exteriora accidentia describit.[2] Usus est enim effictione[3] Terentius. Alias dicitur: Effictio est assignatio de aliquo, qualis sit, per exteriora accidentia, ut patet in exemplis. Color iste in omni figura et in omni genere causæ potest valere et in omne parte rhetoricæ orationis, maxime in confirmatione et reprehensione.

IV, 50 § 63 *Notatio est* per dicta aut facta alicuius personæ morum descriptio, i. e. notatio est [natura] vitii aut virtutis per signa certa ostensio, quando sc. per dicta aut facta alicuius suum vitium sive virtus in aliquo notatur per eorum reprehensionem. — — Color iste rerum est, quia notatio rerum est nota. Et comœdiis convenit. In mediocri et attenuata figura potest valere et in demonstrativo genere, quia valet ad laudandum vel vituperandum. In confirmatione et reprehensione valet. Et differt ab [ab] effictione,[3] quia fit ibi descriptio per accidentia corpori, hic autem per facta aut dicta. — — Tamen hic color est similis in hoc superiori, quod per illum aliqua corporis forma,[4] per hunc vero vitæ aut morum consuetudo significatur.

---

[1] effectio h. [2] Ter. Heaut. 1061—62: Rufamne illam virginem, Cæsiam, sparso ore, adunco naso? [3] effectione h. [4] fama h.

IV, 51 § 65 *quadruplatoris*. Qui commodat in quadruplum vel quadruplum recipit. Hoc vocabulum diu Latinis ignotum fuit, sed ab Asconio Pediano declaratur: Is qui quartam partem habet accusationis.[1]

IV, 52 § 65 *Sermocinatio* *** dicitur græce, quasi sermo decens[2] personæ unicuique. Describitur sic: Sermocinatio est sermonis alicuius alicui iuxta suam dignitatem attributio, i. e. cum aliqua persona introducitur et ei sermo iuxta suam dignitatem attribuitur, ut ex eius dictis ipsius mores et proprietates exprimantur. Hæc enim ubique in Terentio fit sermocinatio, quando introducitur persona loquens iuxta qualitatem et dignitatem suam. Et ornatus iste rerum est, quia pulchritudo orationis ex persona introducta venit vel ex personis introductis. Et proprie sermocinatio est in pluribus personis, cum plures personæ introducuntur alloquentes se; hic est dialogus proprie. — — Differt a notatione secundum quosdam in hoc, quod ibi fit ostensio de re secundum naturam eius tantummodo nec exigit personam, hic vero secundum dignitatem sine aliquo respectu naturæ, sed exigit personam. Item in notatione per certa dicta vel facta mores alicuius dicuntur et ostenduntur, hic vero secundum qualitatem dignitatis alicui sermo attribuitur. Sed adeo affines sunt notatio et sermocinatio. — — Color iste in omni figura potest valere et in omni genere causæ, summopere convenit narrationi.

IV, 52 § 65 *et is exponitur* i. e. exsequitur cum ratione, cum modo vel iuxta qualitatem dignitatis, i. e. pronuntiatur a persona introducta secundum de-

---

[1] Cf. Pseudo-Ascon. ad Cic. div. 7 § 24; in Verr. act. II, II, 7 § 21. [2] docens h V.

corum suum. In qua re Cicero in oratione reprehendit Phormionem, qui cum esset in hospitio cum Hannibale loquebatur de præceptis rei militaris. Unde interrogatus, quid sentiret de Phormione, ostendit se multos senes deliros vidisse, sed magis Phormione nullum.[1]

IV, 52 § 65 *dignitatis* qualitatis eius, iuxta modum qualitatis personæ quidem: homo sapiens et discretus introducitur loquens sicut sapiens et discretus; femina sicut femina et levis. Et sic de aliis. Horatius in arte poetica de sermocinatione hoc dicit: 'Scriptor honoratum si forte' etc.,[2] ubi format modum sermocinandi, i. e. introducendi personam.

IV, 53 § 66 *Conformatio* dicitur *προσωποποιία* a Græcis — — — Sic describitur: Conformatio est alicuius personæ, quæ non adest, quasi adsit, vel mutæ rei aut informis, quasi sit eloquens et formata, sermonis aut alicuius actionis iuxta qualitatem accommodatio. Vel sic: Conformatio est persona poetice ficta ad dicendum aliquid. Et iste color sine dubio est rerum, quia oratio ornatur, quando inanimata res, sicut aqua aut civitas aut aliquis mortuus inducitur loquens et attribuitur ei forma feminæ aut viri. Et licet videatur convenire cum sermocinatione in illius ultima parte, tamen differt, quia hic persona inducitur loquens aut agens aliquid — hoc est differentia, in persona, quæ non est nec potest esse; nec proprie dicitur *προσωποποιία*, nisi persona introducatur, quæ non possit loqui, ut homo mortuus vel ea, quæ in libro ponuntur. Sermocinatio vero non ita, quia ipsa fit in dialogis, ubi introducitur persona loquens tan-

[1] Cic. de or. II, 18 § 75. [2] Hor. de arte poet. 120.

tum, quæ est aut esse potest. Ideo in dialecticis et sermocinationibus sunt argumenta, i. e. probabilitas, in conformatione nulla, quia non est verisimile umquam, quod Roma venit ad undam Rubiconis, ut ait Lucanus introducens Romam alloquentem Cæsarem: Quo fertis mea signa[1] — — Conformatio enim fit, quando res muta, quasi loquens, aut absens, quasi præsens esset, aut res informis, ut res mortua aut civitas, loquens quidquam secundum dignitatem suam introducitur. Conformatio in omni figura potest poni, sed magis in gravi. In iudiciali genere maxime valet, in conquestione et indignatione plurimum. Et ideo in conclusione debet tractari.

IV, 53 § 67 *Significatio* est cum minus dicitur et plus intelligitur. — — — Significatio est * * * alterius rei ex eo, quod positum est in oratione, i. e. cum ex uno datur aliud intellegi. Et multis modis datur intelligi unum ex alio, per exsuperationem, per ambiguum etc., i. e. coniungitur istis modis omnibus. — —

IV, 54 § 67 *Per consequentiam* fit significatio, cum per consequens datur intelligi antecedens, hoc est, *cum res, quæ sequuntur aliam rem * * et ex quibus tota res, quæ sequitur, relinquitur in suspenso*[2], i. e. cum dicto aliquo, quod sequitur aliud, potest intelligi hoc, quod præcedit. Sicut in illa altercatione Horatii cum quodam, qui dixit Horatio: Tace tu, cuius pater se cubito emungebat.[3] Volebat dicere, quod pater eius salsamentarius esset. Ipsi non possunt se emungere digito propter sal, hoc consequitur officium salsamentarii; quod emungit se cubito, ergo in consequenti dedit intelligere antecedens. — —

---

[1] Lucan. Phars. 191. [2] *aliter textus rec.* [3] *Cf. quæ Marxius ad h. l. annotavit.*

IV, 54 § 67 *stultitiam memento Gracchi*[1] per quod intellexit similiter Saturninum pro stultitia sua periturum. Per enim similitudinem significat eum quoque Saturninum iugulandum esse, si sequatur studia popularia, sicut Gracchus pater Aemilii et Caii Gracchorum. — —

IV, 54 § 68 *Brevitas* est expeditio multarum rerum verbis paucis. Vel sic: Brevitas est paucitas rerum tantum necessariis expedita verbis. Brevis enim dicitur sermo, qui verbis necessariis continet necessaria. Item, brevitas dicitur alicuius rei narratio compendiosa, ita sc. quod nec plus nec minus quam necesse sit oratio extendatur. Et est laus, sicut vitiosum est per brevitatem fieri obscurus. Est autem melius dicere superflua quam omittere necessaria. Et multum convenit iste color historiographis. Phrygius Dares frequenter ponit hunc colorem. In toto Phrygio Darete non invenitur, nisi iste color. Et in rebus fit iste ornatus, quia potius res quam verba considerat brevitas. — —

IV, 55 § 68 *Demonstratio* est rei gestæ narratio sic manifesta, ut aurem quasi oculum faciat. Vel sic: Demonstratio est administrationis triplicis expressio, ante rem, in re, post rem. — — Hæc autem expressio fit per circumstantiarum interpositionem, et maxime ante oculos ponendo. — —

IV, 56 § 69 *Omnes rationes* Enumeratis tam coloribus verborum quam sententiarum terminat tractatum huius artis. Finiens librum suum auctor iste facit epilogum ac conclusionem, in qua tria facit: primum hortatur Herennium ad studendum his colo-

---

[1] *aliter textus rec.*

ribus et ad exercitationem mixtam cum fructu, secundo ostendit facilitatem, per quam potest quis facillime exercere. Tertio ostendit fructum exercitationis. Epilogat ergo, quod in tota arte dictum est.

IV, 56 § 69 *diligentia et exercitatione,* i. e. diligenti exercitatione, diligenter[1] nos exercendo in eis. Igitur hic liber in quendam ordinem redegisse videtur. Nam in fine exordii dixit hanc artem ad exercitationem oportere accommodari.[2] Et in i[ti]dem nunc finit suum librum, in exercitationem, quæ est perfectio tam istius quam aliarum disciplinarum ac scientiarum, quas[3] omnes tribus rebus assequi poterimus, ut ipse Cicero ait circa principium, arte, imitatione et exercitatione.[4]

Hæc iam scripta et typis descripta erant, cum catalogos librorum manu scriptorum perscrutanti in suspicionem mihi venit codices nonnullos Italicos, quantum ex brevi descriptione conicere licuit, codici illi Holmiensi quodammodo cognatos esse posse. Postea in Italia peregrinans occasionem repperi codices illos accuratius inspiciendi. Quæ inspectio ut opinionem meam comprobavit — certissima enim cognationis signa erant —, ita laboris fructum eo cepi spe minorem, quod codices illi Italici, quamquam vetustiores sunt quam **h**, eodem vel simili fere modo contaminati et depravati sunt. Id quoque impedimento erat satis magno, quod numquam codices omnes simul examinare potui. Quare eos non aliter conferre licuit, nisi constituendo et considerando, quæ cuique

---

[1] *diligendo* h. [2] I, 1 § 1. [3] quæ h. [4] I, 2 § 3.

cum codicis h partibus, quas formis descriptas habui, ratio intercederet. Ad brevem codicum descriptionem iam transeo.

A codice Mediceo-Laurentiano, (plut. 90 sup., num. 87), initium capiam. Est membranaceus, sæc. XIII, rhet. ad Her. continens cum scholiis uberrimis in margine adscriptis. Describit eum Bandini, (q. v. Catal. codd. latt. T. 3, p. 673). Huic codici (notatur mihi littera f) cum h permagnæ sunt similitudines. Inest prooemium quoddam (initium eius in f ita deletum est, ut legi non possit), cuius in h quoque similia legi possunt. Sed f hic textum meliorem habet et pleniorem quam h. Ceterum in iis potissimum partibus, quæ ad librum quartum pertinent (quarum specimina habes pp. 42—92), eadem scholia in f et in h sæpe inveniuntur.

Perusiæ in Biblioteca Comunale codex quidam chartaceus, sæc. XIV, asservatur, quo nihil aliud continetur nisi rhetorices ad Herennium commentarius. In catalogo a Mazzatinti confecto (Inventari dei manoscritti delle Biblioteche d'Italia, vol 5, p. 104) numerum habet 237 (D. 55); a me p notatur. Codex p quoque prooemium illud habet, ad verbum fere cum textu in f servato congruens. Ac satis mirum hoc videri potest, quod ceterum adeo differunt, ut, quamquam p, sicut f, non raro cum h in quarti libri partibus consentiat, tamen f et p nusquam fere idem scholion habeant. Quare si scholion quoddam in h et in f legitur, in p deesse solet; contra si h et p habent, f deficit. Ac si — quod sæpe accidit — in h plus una definitio figuræ cuiusdam rhetoricæ legitur, plerumque harum alteram f, alteram p habet.

In eadem bibliotheca, ubi p servatur, alterum inspexi codicem, in catalogo Mazzatintiano (Inventari

&c vol. 5, p. 187) numero 730 (I. 124), a me p^2 signatum. Est chartaceus, sæc. XV, et commentarium solum continet. Hic codex non, ut **f** et **p**, in quarti libri partibus, sed in prioribus (cf. p. 10 sqq., 33 sqq.) eundem atque **h** textum habet.

Eadem est codicis Florentini ratio, chartacei, sæc. XV, quem Biblioteca Nazionale Centrale possidet; v. Mazzatinti, Inventari &c, vol. 8, p. 27, ubi II, I, 67 (Magl. Cl. VI, num. 25) notatur. Cum autem hic codex — cuius nota **n** sit — non tam sæpe quam p^2 cum **h** congruat, levioris momenti est visus. Sed quæ ante textum leguntur, animadvertenda sunt: Guarini Veronensis commentarii in Ciceronis rhet. ad Herennium. Tamen Guarinum pro auctore habere verba prohibent, quæ in pagina sequenti leguntur: Commentarii in Rhetorica Ciceronis sub Guarino collecti; et alio loco legitur: Commentarii ... collecti sub disciplina Guarini.

Idem Guarini nomen exstat in alio codice Florentino, quem numero 681 notatum in bibliotheca Riccardiana vidi. In prima enim pagina hæc verba sunt: Comentum sive recollectæ sub Guarino super artem novam M. T. C. Hic liber paulo posterioris ætatis est quam **n**, ceterum ei simillimus.

Venio tandem ad alium codicem Mediceo-Laurentianum, cod. XXXVIII Bibliothecæ Leopoldinæ Strozzianæ (v. huius bibliothecæ catalogum, ed. Bandini, T. II). Est membranaceus, sæc. XII, quam ceteri ergo vetustior. Sed scholia, quæ in margine (nam textum quoque rhetorices ad Her. continet) adscripta habet, et rariora quam in ceteris codicibus occurrunt neque semper ceteris, de quibus egi, scholiis similia; aliqua tamen inveniuntur, quæ **h** et huic libro communia sunt.

Apparet his codicibus, quod p. 8 me sentire dixi, comprobari, codicis **h** scholia alia aliam originem habere, aliis alia vetustiora esse. Atque scholiorum partem quam codices illos multo vetustiorem esse posse non modo non negarim, sed etiam verisimile mihi videtur. Forsitan lateat in bibliotheca nescio qua codex, qui si protractus erit, his scholiis nimis male nobis traditis lumen adhibere poterit.

Codicem illum Corbeiensem, cuius scholiorum notis Tironianis scriptorum p. 24 mentionem feci, inspicere mihi iam licuit, cum summa cum liberalitate eorum, qui bibliothecæ imperatoriæ præsunt, codex anno proxime præterito Holmiam in bibliothecam regiam Petropoli mitteretur. Scholia tamen quam speravi multo rariora esse vidi; pauca enim et exigua sunt in initio, posterius nulla fere inveniuntur. Cum scholiis supra tractatis commune iis nihil videtur esse.

Cum autem præter rhetoricam ad Herennium partes non exiguæ libri Ciceronis, qui de inventione inscribitur, eodem codice continerentur, non inutile fore speravi, si harum partium, quas, quantum scirem, nemo antea inquisisset, collationem confecissem. Neque enim codices vetustiores de inventione continentes plures sunt, quam ut non omnium ratio habeatur, et verisimile videri poterat, codicem Corbeiensem, ut ad textum rhetorices Herennianæ constituendum nonnihil valuisset, ita ad de inventione librum emendandum aliquid allaturum esse. Quam spem me fefellisse non credo.

Codicis historiam et diligentem descriptionem Marxius, l. c., prol. p. 15—19 dedit. Cuius descriptionis hæc tantum afferre liceat: »Codex Corbeiensis vel Petropolitanus forma fere quadratus, qui adservatur in bibliotheca imperatoria Petropolitana signa-

tus nota *F vel 8 auct. class. Latin.*, scriptus sæculo IX vel X Karolingiis litteris minusculis satis diligenter. Constat foliis 87. In foliis 1—48 ... scripta est rhetorica ad Her. inde a I, 6, 9 ad IV, 52, 65 ... quæ sequuntur fol. 49—64 sive quaterniones duo continent Ciceronis de inv. II, 8, 27 usque ad II, 52, 157 inde a verbis »demonstrandum erit defensori» ad verba »quod sua vi nos alliciat ad sese». Tum in foliis 65, 66 inveniuntur rhetoricæ ad Her. quæ restant. Fol. 67 r. et 68 v. vacua sunt; fol. 67 v. et 68 r. continent definitionum collectionem ... Qui sequuntur quaterniones duo sive folia 69—84 continent Cic. de inv. librum I usque ad verba »qui elegantissimi atque artificiosissimi putati sunt» I, 35, 61; quæ restant folia tria, quorum ultimum mutilum est, continuantur folio 64, cum præbeant exitum libri II de inv. Libri de inv. eadem qua in reliquis illius sæculi codicibus mutilati sunt lacuna: nam verba inde a II, 57, 170 »Huiusmodi necessitudines» usque ad II, 58, 175 »in commoditatis vero ratione[1]» desiderantur» ...

Littera C codicem Corbeiensem Marxius signavit. Cum autem in collatione facienda Weidneri editione eiusque codicum signis utar, non possum C, quod apud eum aliam notionem habet, codicem appellare; **R** mihi sit. — Codicem eiusdem fere ac VPS ætatis eademque lacuna mutilatum et aliis rebus illi ut ita dicam librorum familiæ similem esse, quod iam per se verisimile erat, collatione diligenti confirmatur. Ut supra monitum est, non totum de inv. librum R

---

[1] Hæc minus accurate Marx dixit, nam debet esse: usque ad II, 58, 175 »modo illud attendatur.»

continet. Sed alienum non est commemorare locum illum (I, 35, 61), ubi, quod ad priorem attinet librum, R deficiat, quam proximum esse ei loco, ubi VS (P) quoque lacunam maiorem habeant. Præterea ut perturbatam esse codicum de inv. continentium rationem constat, ita R consentit iam cum V iam cum P iam cum S (vel cum his quodammodo coniunctis) iam, quamquam rarius id accidit, cum *ω*. Sæpius tamen quam cum ceteris communes varietates ei sunt cum V vel VS; his ergo codicibus proximus esse videtur. Quam propinquitatem similitudines quoque orthographicæ certissimæ confirmant.[1]

Etiam proprias suas lectiones habet R nonnullas; quarum quæ maxime animadvertendæ videntur, infra tractabo. Nec desunt additamenta, velut (numeri paginam, lineam editionis Weidnerianæ significant): 10^{19}, 14^{17}, 19^{22}, 33^{19}, 43^{12}, 47^{21}; nonnulla glossemata esse apparet: 19^{17}, 123^{9}, 123^{18}, 124^{28}. Paulo rariores omissiones videntur esse; inveniuntur tamen, velut 15^{16}, 42^{20}. Satis frequentes sunt errores librarii ex incuria orti. Inveniuntur loci (posteriore in libro maxime) præ ceteris talibus erroribus abundantes. Quam sæpissime **m** littera falso vel additur vel omittitur, qua re similis est V, v. Stroebel in Philologo XLV (1886), p. 480—81. Comparativa semper fere in **i** exeuntes ablativi formas præbent. Voces compositæ plerumque forma sunt assimilata, velut *amministrare*, *supposuit* (eadem est codicum VS ratio).

Quæ sequitur codicis R collatio omnia fere annotat, quæ a textu Weidneriano discrepant. Qua in re minutias quoque multas eo non repudiavi, quod spes

---

[1] Scriptura illa h' = autem, quam W (= Weidner) *in* V(S) inveniri monet (p. 43^{6}; 99^{3}), in R persæpe occurrit.

erat, si quis novam instruere vellet huius operis editionem, aliquid utilitatis hanc collationem ei esse præbituram; omissæ tamen sunt interdum res orthographicæ quæ nullius momenti videbantur et librarii errores nonnulli tam conspicui, ut eos annotare non posset non tædere.

P. 3. — 4 colligo = S — 6 a nostra = M.

P. 4. — 3 his — 6 artis initium sive studii = PS — 6 a natura — 8 atque optimis = C — 11 amministrabant — 12 nondum divinæ = C — 13 non certos quisque = P — 14 acceperat = C — 15 inscitiam = PS — 18 materia esset = PS — 21 in agris = SMωAlb.

P. 5. — 1 adque — 3 videtur hoc nec tacita = Alb. PScorr. Mω — 13 cum his = CM — 14 a iocundissima (o in ras.), cf. S — 21 assuevit — 25 ac diserstos.

P. 6. — 9 hinc = $PS^2\omega$ — non iniuria, corr. — 17 tempore quo = S^1P^1 — 23 affricanum . . affricani.

P. 7. — 2 auctoritas quæ et his rebus, cf. $P\Delta S^2$
h
— 8 onesta = S — 9 iocunda — 10 omnium rerum = P — 16 adeptus is (is ex his corr.) — 19 hi = S — 20 præcepta reliquerunt (om. nobis) — 21 dicamus = Sω.

P. 8. — 1 quam rethoricam vocant = C — cum his = PSM — 3 ab his = PSM — 5 ponimus = ω — 8 quid īple riconveniat (supra īple scr.: vel officio; cf. C: officio) — 12 dicimus (corr. ex dicemus) — 15 ut si medicinæ = Sω — 20 optume — 21 hic (corr. ex hinc = S).

& consultatione
P. 9. — 2 in disceptatione civili, cf. PS^2 — 9 dicat rem = PS — 11 nam tres ei = ω — 15 ut (in ras.) quid = P^2S^2 — 21 in his = C.

P. 10. — 3 neque ideo qδ eius ars quam edidit, cf. M — 5 collocasse — 7 maximum ex arte = C — 10 partes autem sunt eæ — 14 verborum ac sententiarum ad inventionem, cf. S^2P^2 ω 𝔐 — 18 genus et finem et officium = PS — 19 multorum verborum indigent] quippe de his longa est disputatio add. in mrg. — 20 et non tantopere = Δ.

P. 11. — 2 de duabus reliquis materia artis ac partibus — 7 inpositam (om. se) — 14 quia vis = S — 16 quia et de vi et = PS — 18 quod non au (sic!) agere — aut non cum eo = C — 19 aut non apud quos = C — 21 cummutationis — 22 aliqua.

P. 12 — 2 causam quidem (om. ne) — 4 distribui = SM — nam quid = C — 5 ulexes (i) — 6 fragelliani = PS — 7 cartaginem = S — 7 reliquerimus — 11 quod de re quoque ipsa non conveniat, cf. C — 13 non quod de facto constet, sed .... factum sit, ... videatur .... appellat — 16 surripuerit — 19 appellari = S — 23 et omnia = C.

